Drude,
Ophthalmias Tres,
1817.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

# PARALLELAS

INTER

# OPHTHALMIAS TRES,

## VENEREAM, ARTHRITICAM ET RHEVMATICAM,

QVAM

PRO SVMMIS

*IN ARTE MEDICA ET CHIRVRGICA*

LEGITIME OBTINENDIS HONORIBVS

DIE XXX. NOVEMBRIS ANNI MDCCCXVI

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

CAROLVS IVLIVS FERDINANDVS DRVDE,

BRVNOPOLITANVS.

---

GOTTINGAE,

TYPIS J. C. BAIERI, TYPOGR. ACAD.

1827.

VIRO

PERILLVSTRI, CONSVLTISSIMO, AMPLISSIMO,

# CAROLO HIMLY

MED. ET CHIR. DOCTORI, PROF. PVBL. ORDIN. IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA, MAGNAE BRITANNIAE REGI A CONSILIIS AVLICIS, NOSOCOMII ACADEMICI DIRECTORI, SOCIETATVM SCIENTIARVM MEDIC. ET HISTOR. NATVR. CLARISSIMARVM PLVRIMARVM SODALI,

ORDINIS MEDICI GOTTINGENSIS H. T. DECANO

ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET BENEFACTORI
SVO HVMANISSIMO

SE SVASQVE RES PIA MENTE DEVOVET

AVCTOR.

Memoria beneficiorum, quae,

*Vir generosissime!*

dum in Academia Georgia Augusta sub auspiciis paternis Tuis medicam artem studio persequebar, in me largissima contulisti, animo grato non vividius obversata est, quam intimus ardor, de tanta benignitate Tua gratias, Egregie!

Te dignas e maturis viribus aliquando Tibi referendi.

An illa pia felicitas mihi forte evasura sit, ab exiguitate mea vix unquam est exspectandum attamen, ne

interea munificientiae Tuae oblitus Tibi videar, hoc loco utor, quo, quodcunque sim aut valeam, Tuum munus esse laetus palam profitear, ulteriorique Tuae benevolentiae observantissime commendem

Tua doctrina auctum discipulum,

Tibique obstrictissimum cultorem

*Carolum Iulium Ferdinandum Drude.*

Ad inclytum ordinem medicorum in Academia Georgia Augusta.

*Viri perillustres, ornatissimi!*

Quae iam tribus abhinc elapsis annis doctorali dignitate decoratum a tessera eruditionis in publicum edenda, siquidem illa nunquam prolata nil perditum fuisset, prohibuerint auctorem in limine pagellarum brevibus exponendi venia sit.

Negligentia non fuit inhonesta diuturnae morae caussa; — impedimenta ab externo invecta silentium dictarunt, quae doctorali examine vix egressum, ante summos in medica re disputatione consequendos honores, in militiam sub Westphalico — quondam iugo — tolerandam memet abripuerunt, quam inde, modo Germanis, modo Gallicis nosocomiis militaribus adscriptus medicus, per octo menses facere cogebar. Illuxit vero Germanicae libertatis aurora quae servitute sopitum excitavit, oblataque evasionis facultate potitum in moenia patriae urbis me incolumem reduxit.

Signa Ducis Serenissimi, Friderici Gvilielmi, beati nunc herois, iis diebus domi erecta, iuvenem ardentem exceperunt.

Ab ordine Vestro celeberrimo, mihi indulgentissimo, absens ab academia in gradum elatus, copiis Brunovicensibus in expeditione anni 1814 regimentarii chirurgi munere fungens adstiti In patriam reversus, omissa militia per semestre pacatum praxi inter cives Brunopoli-

tanos colendae operam impendens, plures dissertatiunculas aggressus sum, quibus, ut in mora fit, omnibus reiectis hancce materiem, quam, denique pertractatam foras emittendi non amplius cunctare licuit, periucundam selegi.

Bellum autem de novo per universam Europam excitatum vires, siquae essent, in publicum adiumentum conferre me monuerunt, ut, re litteraria infecta, praeterlapsi anni expeditionem una facerem.

Quae quantum ob uberrimas exercendi practici ingenii occasiones, magisque forsan propter egregia instituta medica et nosocomia, quae in itinere, praecipue Lutetiis lustranda oblata sunt; in emolumentum evadere mihi debuerit, vix est quod affirmatione egeat.

Rebus iterum feliciter peractis inducta laeta in patriam recessio militia liberum studio ac civili praxi me reddidit, itaque ulterioris morae pudore admonitus, ut debito ac promisso non diutius deficerem, commentationem, quam videtis, tenuem examini Vestro submittere conatus sum. Quod vero severitate quavis abstineat, ac pro nihilo maiori quam solutione tributi inevitabilis, nec pro eruptione mali scribendi pruritus a iuvene in perficiendam doctrinae medicae propriam cognitionem libentius intenso acceptum opusculum indulgentia benignitateque iudicetis, etiam atque etiam rogo.

Dabam Brunsvigae, die xxx. Novbr. 1816.

## PROLEGOMENA.

§. 1.

Qui fiat, ut thema perdifficile conspectus paralleli complurium oculi morborum itidemque gravissimorum inaugurali dissertatione pertractare subierim? — inquirenti, respondisse iuvabit, me in opusculo in gradum rite conservandum conscripto, quod paucissimos legendi cupidine afficit, eorumque minorem numerum operae pretio remunerari, ac perinde oblivioni destinatum esse consuevit, inclinationem propriam secutum hanc materiam peramoenam in virium exercitationem elegisse, ut, nisi aliis, quibus invito me apparuit, mihi certe oblectamentum usum que afferat.

Et quidem duplex est, quod allicientis in illa re persensi; ophthalmologiae nempe, doctrinae prae caeteris mihi acceptae, caput minime infimum amplectitur, et methodus ipsa symptomata variorum morborum sibi respondentia componendi, dissimilia vero diligenter expiscendi, et illis enucleatis diagnosin stabilem superstruendi maxime arridit. Quantum in construendo tantae gravitatis opere ab egregio meo exemplari, quod Wichmann celeberrimus vel capacibus viris vis assequendum erexit, in tenebris remanserim, non est, quod comparationem admittat, ac in deterso dicto: In magnis voluisse, sat esse" praesidium quamvis infirme mihi quaerendum erit.

§. 2.

Quo iure autem ophthalmias, si originem spectas, toto caelo diversas componere ausus sim, alteri quaestioni levioris periculi responsio videtur satisfacere. Inferiori quidem loco illud, si est, opprobrium refutasse confido; pauca tamen in praesentia dixisse liceat.

Partes oculi nempe, ab una et alteris adfectae eaedem, cuiusque porro syptomata plurima in utraque altera subinde usurpanda, ac inde orto non ita raro, saepe vix evitabili, errore curationem praegravantia, — alterius quoque cum altera consociatio et alius in aliam transitus considerationi spatium finibus aegre componendum statuere videntur. Quod, cum vires propriae metiendo illi non sufficiant, sagacioribus viris dignum opus in ulteriorem attentionem publice commendasse, nisi difficile certe meritum continens erit institutum.

§. 3.

Fontes denique, a quibus in elaboranda commentatione haurire datum est, sincere ac animo grato indicandi, triplicis generis patuerunt, quorum ille, isque tironi utilissimus exstitit Viri doctissimi, praeceptoris humanissimi, cl. Himly profunda eruditio, qua in auditorio non minus ac in exercitationibus clinicis imbuere studuit litteris intentum quemque discipulum, mihique paterno eius consilio et beneficiis ante alios felici, quamcunque ingenii colendi occasionem liberaliter suppeditavit.

Alter, idemque non spernendus eruditionis fons aderat in scriptis ophthalmologorum, qui, etsi ophthalmiae caput minus quam aliorum oculi morborum, eorum praecipue, quorum curatio manu persolvitur auctoribus tractatum est, recentiori tamen saeculo materiem, quam inqui-

rere in animo est, observatis ac inventis tam fertilibus illustrare sunt orsi, ut spes propinquae perfectionis rei tam gravis iure foveatur.

Comparationem inter medicinam ophthalmiarum hodiernam et pristinam instituturo pergrata, quae sequuntur, scripta praesto sunt.

1. Wz. Trnka de Krzowitz historia ophthalmiae omnis aevi observata medica continens. Vindobonae, 1783. 8.
2. G. Ioh. Beer bibliotheca ophthalmica, in qua scripta ad morbos oculorum facientia a rerum initiis usque ad finem anni 1767 breviter recensentur. Viennae Austr. 1799. 3 Tomi. 4.
3. Car. Himly et Joh. Ad. Schmidt ophthalmologische Bibliothek. Jena, 1803-7. 3 Theile. 8. cuius egregii operis continuatione nunc iterum gaudemus.
4. Aug. Gottlieb Richter chirurgische Bibliothek. Göttingen, 1771-97. 15 Thle. 8.
5. K. J. Mart. Langenbeck Bibliothek für die Chirurgie, Göttingen, 1807, et ann. sqq.

Inter recentiora de ophthalmia agentia compendia in usum vocata, pro reiterata scriptorum citatione hic semel nominavisse iuvabit:

6. Aug. Gottl. Richter Anfangsgründe der Wundarzneikunst. Bd. 3.
7. Justus Arnemann's System der Chirurgie. Thl. II. (de odhthalmia syphilitica chronica optima nonnulla continet).

8. Anton Scarpa's praktische Abhandlung von den Augenkrankheiten, nach Leveilles französischer Ausgabe in's Deutsche übersetzt durch Marten's. Bd. 1. Leipzig, 1803. 8.

9. Joh. Spindler über Entzündungen des Auges und ihre Behandlung. Würzburg, 1807. 8.

10. Franz Just. Wilh. Benedict über die Augenentzündungen. Breslau, 1814.

Compluribus de proposita materia agentibus exoptatis scriptis, si veteres quosdam excipis, collectionis numerosae librorum destitutum uti vetuit ab academica, aliave maiori medica bibliotheca longa remotio, quamobrem citationum farraginem, lector benevole, hic desiderare nolis.

## Sectio prima.

# NOSOLOGICA TRIVM OPHTHALMIAE FORMARVM DESCRIPTIO.

## Capvt primvm.

### OPHTHALMIA SYPHILITICA.

Illud inflammatorium est oculi pathema, quod specifico, tam magis vel minus universe per individuum organismum sparso venereo viro, quam infectione topica oculo immediate communicato constitutum, indole symptomatibus genuinae oculi syphilidis infra memorandis sese manifestat. Quae morbi definitio nec organismi generalem affectionem habet, conditionem sibi coniunctam, nec hominem venereo malo in parte quadam inquinatum ophthalmia non syphilitica affectum existere valere, denegat.

Ea ratione, quam superiori loco exposuimus, ophthalmiae syphiliticae duas species symptomaticam, scilicet illam, hanc idiopathicam seorsim pertractare fas esset: verum antecellit alia eius divisio veterior in binas species, maxime ab invicem discrepantes, quod formam non minus, quam caussalia earum momenta concernit,

*a*) Gonorrhoïcam scilicet ophthalmiam seu blennorrhoeam oculi syphiliticam, et

*b*) veram oculi syphilidem, generalis eius morbi symptoma topicum, ad quarum singulas iam accuratius perscrutandas accedamus.

A Ophthalmia gonorrhoïca, seu blennorrhoea oculi syphilitica, in profusa muci puriformis, ac deinde vere purulenti secretione, cuius fontes patent coniunctiva, totam bulbi oculi faciem externam ambiens, ipsamque palpebrarum superficiem interiorem vestiens, caruncula deinde lacrymalis et glandulae Meibomianae, immo — si vehementior facta est huiusce generis ophthalmia, — ipsa cutis palpebrarum externa, irritatione morbosa quoad structuram et functionem insigniter mutata. Originem ista debet modo gonorrhoeae, cuius molestia iam prius adlata fuit aegroto, vel suppressae vel perduranti; modo topicae viri gonorrhoïci tam proprii (in eodem scilicet individuo secreti) quam ab alio quodam aegro transportati, insitioni attactus impuri ope in oculo perfectae, quo eodem primordio duplici gaudet in feminis, albo venereo fluxu adfectis; modo, quod rarius evenit, mihi vero in illo celebri nosocomio Parisiensi, quod exstinguendo syphilitico malo soli dicatum est, observare contigit, purulento isto muco; quem oculus praesenti malo correptus praebet, sanis communicatur.

Foedae huius cruciantisque ophthalmiae, quae brevibus amplexa, coniunctivitidis saevioris imaginem exhibet, naturam et indoles indaganti, recentiori tempore tantis tamque vulgatis subiectam disputationibus materiem, ante omnia diversae originis ratio habenda esse videtur, quae nempe inter ophthalmoblennorrhoeam veneream ab interna causa profectam sympathicam, et altera ex parte, contagioso attactu immediate inductam terminos accurate constitui iubet.

Qua igitur in re versantibus varias eius species secundum earum caussalia momenta, seorsim perscrutari profi-

cuum erit, ut uberiorem illustrationem inde percipere queamus. Et

Imo quidem gonorrhoea, quocumque modo fiat, incaute suppressa ophthalmiae, de qua agitur, caussa existere offenditur.

Sententia prae aliis aestimanda mihi videtur eorum, qui non sola ex analogia, membranae muciparae urethram investientis, tunicaeque oculo adnatae — sicuti glandularum in fossa naviculari urethrae frequentium, et Meibomianarum glandularum in palpebris — functiones intercedente, sed plurimum inexplicabili inter genitales partes et oculos consensu, quo, morbosa urethrae muci secretione suppressa, hi potissimum, neque aliud quoddam organon tunica pituitaria obductum, iis *) viribus fungi cogantur, morbi originem explicare studuerunt, quos inter bina clarissima nomina, Antonii Scarpa et Caroli Himly protulisse sufficiat.

Cuius nempe, quamvis ignorantiam doctam fateatur, in morbi origine demonstranda dignitas extra dubitationis aleam posita est experientia, cum nullum, ni fallor, citra vesicam urinariam et oculos **), organum functione

*) Notatum posterius addere suadet observatio nova otorrhoeae, quae gonorrhoeam suppressam immediate secuta, illaque restituta sanata est, cuius mentionem invenimus in libro
Russische Sammlung für Naturwissenschaft und Heilkunst, herausgeg. von Alexander Crichton, Joh. Rehmann, und K. Fr. Burdach. Bd. 1. Heft I. Riga und Leipzig, 1815.

**) Nihil officiunt tumores in glandulis, tela cellulosa subcutanea et intermusculari, sicut in ovariis hepate, pancreate, renibus, omento, immo in substantia cordis obvii, quorum caussa primigenia quaeritur a quibusdam in gonorrhoeis ante plures annos suppressis, vel imprudentiore medicatione tractatis, quorum exempla reperiunda sunt in ephemeridibus medico - chirurgicis societatum Londinensis et Edinburgensis annorum 1814. et 1815.

pro urethra vicariante pateat quorum illa quoque — lotii nempe vesica — eadem cum urethra munita est mucosa membrana, ita ut abnormis urethrae secretio caussis externis prohibita, in eiusdem partis adfectae continuitatem internam retropressa dici queat.

Ex eo tamen, quod gonorrhoea frequenter illico supprimatur sine ophth. gonorrh. illius sequela, consensum inter oculos et urethram aliis subtiliorem aliis torpidiorem esse concludimus, quod non tantum ab altiori sensibilitatis individualis gradu, sed praecipue partim ab oculorum debilitate seu congenita, seu in morbis antegressis acquisita, partim ab externis oculo infestis momentis pendere videtur, quibus quidem omnibus fit, ut quamcunque malam corporis adfectionem, imo pathemata animi et sqq. in damnum sibi attrahant, unde non mirum est, cur inhibita gonorrhoea simili blennorrhoea debiles oculi inundentur.

a solertissimis viris I. Farre et I. Wardrop edita. Conferatur etiam
Cullerier Abhandlung über den Tripper, Nachtripper, Bubonen und Schanker, übersetzt und mit Anmerkungen herausgeg. von Rénard. Mainz, 1815. 8.
Praesertim vero memorandum est scriptum recentissimum
J. H. Fr. von Autenrieth, und J. G. Fr. von Bohnenberger Tübinger Blätter für Naturwissenschaft und Arzneikunde. Bd. I. St. 2. 1815.
quod exemplum insigne pseudorganisationis indicatae continet, quae fluore albo praeterito effecta esse dicitur.

Tumores illi, glandulis lymphaticis tumefactis aequabiles indurationes constituentes, ac deinde in steatomatosam massam resoluti, nihil aliud nisi scrofulas caussam habent, quarum dispositio corpori inhabitans variis noxiis momentis, non solum gonorrhoïco viro incendi potest. Qua tamen dispositione scrofulosa deficiente, venenum gonorrhoïcum solum eiusmodi pseudorganisationem non efficiet, quod asserit Censor modo citati libelli in Salzburgische mediz. chirurg. Zeitung, herausg. von J. M. Ehrhart. 1816. Thl I. pag. 182.

Sic enim innumeri casus innotuerunt, qui partium corporis maxime remotarum statum morbosum, inprimis autem secretionis alicuius normalis aut abnormis temerariam suppreſſionem in oculorum perniciem evasisse demonstrant, ex quibus meminisse sufficiat observationis iteratae chirurgi praestantissimi Larrey, Franco-Galli, qua docti scimus, in Aegypto, terra matre morborum oculi, diarrhoeam frigore ad anum capto suppressam ophthalmiae blennorrhoicae vehementissimae caussam occurrisse.

Quae tamen observationes, quanta sit illarum copia, non statuerunt exempla similitudinis tam luculentae inter pathemata cuiusdam organi primario adfecti et oculorum, illis secundario adfectorum vel, ut ita dicam, in vicariam functionem subeundam coactorum, qualem offendimus in gonorrhoea, si cum ophthalmia gonorrhoica comparationi subducitur.

Contagiosae quoque vires muci puriformis ophthalmia hacce producti non leve darent argumentum propriae illius morbi originis, nisi benigna quoque, ut apparebat, gonorrhoea suppressa blennorrhoeam oculi acutam, secretione ipsi simillimam, efficere valeret, cuius exemplum, nisi fefellit observatio, nec aegrotus affirmatione immunitatis a quocunque venereo malo falsa nos decepit, in nosocomio militari Gallico Magdeburgi observare mihi cum pluribus experientissimis chirurgis contigit *).

*) Miles Franco-Gallus, annum vicesimum tertium agens, quibusdam scrofulosi morbi residuis exceptis in caeteris bene valens nobis visus, nec, quod iterata vice asserebat, ullo unquam modo lue contaminatus, slopetario vulnere per membrum virile mediumque scrotum fuerat ictus, unde sanato remansit urethrae strictura. Cuius in medelam cereolum paullulum corrodens diutius applicatum blennorrhoeam urethrae per octo septimanas fere sustinuit, illamque bifariam molestiam non amplius laturus aeger, abiecta candela, frigida ferri sulfurici solutione gonorrhoeam illico suppressit.

*Momenta caussalia*

prioris huius ophthalmiae gonorrhoïcae speciei quaevis liberae muci secretionis urethrae gonorrhoïcae constituunt impedimenta, modo irritantia, ut medicamenta diuretica calida, sive inflammatorio adhuc vigente stadio propinata, sive durante blennorrhoea iam chronica ad illius suppressionem — nova scilicet inflammatoria irritatione producta — usque usitata modo adstringentia, v. c. topicus saturninorum, martialium etc. usus, frigus externum humidum et siccum, — modo denique mechanica ipsa, ut obligatio penis excretionem inhibens.



IIda ophthalmiae gonorrhoïcae species illa est, quae blennorrhoea urethrae plus minus persistente, certe non penitus evanida, absque topica oculorum infectione oritur.

Primo illa intuitu, quod ad indolem et originem, explicatu difficilior apparens, potens argumentum contra veterem opinionem de metaschematismo, ophthalmiae gonorrhoïcae auctore, sistit.

Vir clariss. Himly, experientia doctus sibi persuasum habet, huius generis valetudinarios magna ex parte iam antea oculis fuisse debiles, praecipue scrofulosa oculorum labe ab infantia confectos — plerosque item gonorrhoea

Sed altero post illam exsiccatam die oculus uterque, praecipue dexter, sensu formicationis et pruritu vexatus, rubore tumoreque coniunctivae calidissimo infestabatur, qui, effluvio urethrae hirudinibus perinaeo impositis, candelis irritantibus et vesicatorio in pube, cito satis restituto, oculisque sacculorum herbariorum aura aromatica refectis, maxime mitigati in blennorrhoeam oculorum gonorrhïcam haud ita malignam, et quamvis lente, tamen perfecte sanatam transierunt.

crebrius infectos fuisse, et quo saepius iterata sit, licet affectio localis urethrae tum levior manserit, periculum infectionis generalis semper increvisse. In tali rerum statu organa ex longinquo iam debilitata, et intimo (quem superiori loco pluribus tetigimus) cum urethra consensu iuncta, illius in partes trahi, ac perinde, gonorrhoea perdurante, blennorrhoeam oculorum enasci, non est quod nos admiratione percellat. Igitur concludimus adfectionem oculorum nihil esse, nisi veram propaginem infectionis syphiliticae per consensum factam. Virus enim gonorrhoïcum ab inguinalibus glandulis absorptum per universum corpus ad oculos traductum esse, negat velocior oculorum infectio, in particulari consensu organorum horumce solo nixa.

*Momenta caussalia*

interna huius ophthalmiae varietatis iam explicita in patulo sunt; externis omnia ea adnumerentur, quae vigente gonorrhoea oculos valde irritant, ut v. c. fumus, pulvis, vapores acres, qui oculos frangunt, intensus eorum usus in luce clariori vel denique alius generis inflammatoria oculi adfectio, quae formam gonorrhoïcam sensim induit.



III. Quae denique topica materiei puriformis virulentae ad oculos facta transportatione producitur ophth. gonorrhoïca, non aliter explicanda esse videtur, quam quaelibet alius contagii specifici inoculatio, qua fieri solet, ut virus idoneo loco gaudens, nec obstantibus momentis externis similem illius, cui ortum debet, in vivo corpore pseudorganisationem (Afterorganisation) proferat, quae eadem, qua genita est, propagationis vi praedita est. Illam in hac ipsa ophthalmiae varietate locum habere, iteratis exemplis extra dubitationem positum habemus.

Momentum caussale
unicum adest virulenti muci tam ex urethra, quam ex oculo gonorrhoïco secreti, ad sanos oculos transportatio.

## *Symptomata morbi generalia.*

Exordium ophthalmiae, vel hoc vel illo modo genitae in serpigine oculorum et palpebrarum intolerabili consistit, quae in erysipelaceam totius coniunctivae inflammationem abit. Coniunctiva palpebralis simul intumescere coepit, quod in adnatam bulbi oculi cito continuatur, quae, parte media corneam obtegente vixdum excepta, eo usque pristinum aspectum amittit, ut brevi post maxime intersa corneam vallo laete rubro circumdet, et maximam eius partem obtegat. Immodica ista in tunica laxa humorum accumulatio palpebras tenens apertas, molestum nimiae repletionis orbitae sensum adfert, et odiosum praebet vultum, qui, incurrente stadio altero, blennorrhoïco, quo mucus puriformis ex viridiflavescens ex toto coniunctivae ambitu scaturiens genam rivulo indefesso humectat, turpitudine aliquantum increscit. Dolor pungitivus ac intolerantia lucis, soliti ophthalmiae comites, minus ac pro vehementia illius et malignitate cogitares, aegrum infestant, qui, nimiae quidem orbitae repletionis sensu adfectus, periculum instans levius ducens, auxilium medicum tardius saepissime quaerit. Inflammatio tamen, hucusque contemplata coniunctivae deformitate ac suppuratione nondum contenta, illi substructam quoque oculi fabricam evertere conatur; quippe cornea vel adnatae ipsi incumbentis ulceribus ab externo peresa, vel exsudata inter lamellas eius puriformi lympha, vesicae in modum distenditur, et nimia denique tensione purisque acrimonia perrosa, fistulas exhibet, quae humores oculi varios et iridem prolabi sinunt, quo facto bulbus collabitur, et inter profusam sup-

purationem in germen deforme concrescit. Hunc vide morbi decursum funestum, quo quidem existit aliquanto mitior alius, cui virulentus ipsius oculi adtactus, interdum et consensus internus ansam praebet. Illum nempe ab externo contagio productum morbum saepius observare contigit, qui lippitudinem oculi chronicam, quamvis acuto initio insignem, mentiebatur, vel ophthalmiae catarrhalis magis intensae formam induens, blennorrhoea phlyctaenisque oculum infestabat, attamen unicum saepius (viro infectum) quod a lippitudine vel ophthalmia catarrhali diagnosin facilitare visum est, dum e contrario per consensum ab urethra inducta gonorrh. ophthalmia, licet ex more vehementia inaequali oculum illum vel alterum adoriri non infitiemur, utriusque morbosa affectione conspicua esse solet.

*Prognosis.*

Morbi decursus malignum eius characterem satis superque demonstrat, ut iure de illo affirmari queat, ophthalmiarum saevissimarum unam constituere, quam praefestinantis decursus ob velocitatem aegerrime inhibeas, ac eruas. Celerrimo quidem passu prior incedit illa, cui suppressa gonorrhoea fuit auctor, sed ea quoque, quae persistente gonorrhoïco fluxu a consensu progreditur, infausto eventu indolem non raro insidiosam profitetur et postrema ipsa topica viri insitione procreata, etsi utraque illa sanabilior, vestigia irreparabilia tamen in oculo frequentissime relinquere conspicitur.

Magna vero ex parte a statu valetudinis generali, et ab oculorum inprimis, est prognosis deducenda, quippe qui pristinis invasionibus, inter quas malum scrofulosum prima tenet loca, oculis debilitati sunt, ophthalmia qualibet superveniente vel leviori, et eo magis hac insidiosa,

graviter adficiuntur, ac illius vehementiae signa crebrius aegriusque ferunt.

Postremo denique nititur eventus in stadio, quo rei peritus in auxilium assumitur, et ab ipsa methodo quam iste in curando sequitur, de quo breviter meminisse iuvabit, ineunte morbo, priusquam destructoriam vim in oculi compagem exseruerit, in dirigendum illius decursum faustumque eventum multum quantum conferat sanum adminiculum, quod, ut praeceptor clariss. Himly docuit atque demonstravit, experientiaque propria insequens mihi probavit, ab irritantium et roborantium remediorum topico audaciori usu sperandum, in methodo antiphlogistica vero nequidquam est quaerendum, cum oculus adfectus, ut supra demonstratum est, excedentem partium laxitatem, ac inflammationem omnimodo typhosam profiteatur.

Altera iam in promptu stat ophthalmiae venereae forma, scilicet

B. *Ophthalmia syphilitica stricte sic dicta, interna,*

vel a venerea corporis lue generali, qua symptoma eius tam apertae, quam larvatae locale procedens. Et ea quoque, si alia quaecumque corporis humani adfectio, in systemate, quod vocant, indifferente posita est, qrod exordium generalis morbi a contagio materiei organicae insito ductum non solum, sed eius incrementa quoque visibilia, nempe vitia reproductionis ad amussim demonstrant, ipsaeque partes prae aliis illi patentes, cornea, sclerotica etc. morbosaque productio, condylomatibus iridis conspicua, confirmant.

Decursus etsi non raro velox acutam ophthalmiam sistat, frequentius tamen observatur subchronicus, quod ex parte ab externa caussa, qua in ortu egere solita est efficaciori,

pendet, cum, quod infra videbimus, alius generis ophthalmiae insidiosum agmen extremum saepissime sistat.

Lue venerea, eademque ophthalmia ſanatis in oculo ſemel adfecto remanens diathesis summa phlogistica, fabricam huius organi penitus esse mutatam ostendit, ac longinquae morbi persistentiae specimen offert.

De formae ratione dicendum est, quod non raro quidem sponte sua prodeat cum apparitionibus, nisi peracutis, attamen maximam partem characteristicis, quae vigilantius observata larvatam caussam non perpetuo celatam relinquunt; — saepius vero virus venereum corporis compagem perrepens irritamento alio quovis inflammatorio, quod inferiori loco palam feretur, in oculos directum in labem illorum confert, eamque deinde proprio Marte perficere satagit.

### *Caussalia momenta.*

Interna dispositio, sicut in priore forma inflammationis oculi, hominibus syphiliticis maxime iis ineſt, qui iam pridem, vel in tenera aetate, oculis fuerunt valetudinarii; potissimum autem ophthalmia scrofulosa, qua antea laborarunt, venenum syphiliticum in organa visus attrahit, quod vulgatam confirmat practicorum thesin, corpora malo scrofuloso confecta illi viro maligno introitum permittere faciliorem et magis, quam in caeteris fieri solet, funestum.

Quae vero praecedente malo maxime adfecta fuit oculi pars, illa venereae luis poenas dare prae aliis disposita est, quo fit, ut inflammatio syphilitica varia forma ludat, v. c. post erosam scrofulis coniunctivam corneae ipsamque corneam, inprimis hancce pellucidam utramque membranam adoriatur, quod non leviori modo sequitur antegressas ophthalmias morbillosam et variolosam, cum rheumatica syphi-

liticae ophthalmiae origo iridem, arthritica vero scleroticam, chorioideam, lentis capsulam —forsitan et retinam — mali sedem praeferat. In universum autem vulgata omnia caussalia momenta ophthalmiarum, vulnera oculi, et sic porro homini lue venerea diutius penitusque infecto virus in oculos dirigere, ac inflammatione vel absconditum illud in lucem protrahere queunt. Topica tamen efflorescentiae venereae suppressio, et, quo proprior illa ab oculis abfuit, eo facilius eos in consensum vocat, malique sedem illis concedit, ubi nominanda est venerea scabies circa oculos, inprimis in superciliis interdum obvia.

Rarior, quamvis accidat, exostosis, osteosarcosis vel caries venerea orbitae huius ophthalmiae caussa existit.

In fine addendum est, hanc intrinsecam, vel a vera syphilide progenitam ophthalmiam nunquam, uti gonorrhoïca, immediatam topicae oculi infectionis sequelam existere, sed e lue generali corporis omni vice progerminare.

*Symptomata morbi.*

Initium, ut antea dictum est, valde diversum hoc ophthalmiae genus prae se fert, quia pro varietate primariae sedis vel illa vel alia oculi membrana scenam aperit, quod inde prosequitur, quoniam introitus huius ophthalmiae alius generis morboso statui persaepe immixtus est. Homo syphiliticus nempe aliquo inflammatorio malo oculorum, v. c. traumatico, rheumatico, catarrhali adfectus, tardius aut ocius cachexiam veneream ad oculos porro elicitam, eiusque indole ophthalmiam inquinatam experitur maxime frequenter. Primarius oculi morbus genium suum amittit, ac advena potentior, venerea inflammatio, symptomata sibi peculiaria pro antecedentibus fugatis revelat. Extra illum ap-

paritionis modum alius contrarius adest, quo luem sponte in oculos provectam, et primigeniam ſyphiliticam ophthalmiam ortam offendimus, qua ratione status multo clarior inducitur.

Huiusce originis modi ratione habita, oculum, si frequentiores casus sequimur, utrumque rubore saturato, photophobia — nisi iris initio primo simul afficitur — non excedente, illacrymatione doloribusque per bulbum totum pungentibus vespertinis atque nocturnis, versus auroram insigniter decrescentibus aut intermittentibus effectum. Per totam orbitae circumferentiam, praesertim in margine supraorbitali et glabella, sensus perforationis, esteocopus vulgo audiens, percipitur, qui maxime vespertino tempore ab hora quinta ad septimam usque, quod clariss Spindler iteratis observationibus sibi persuasum habet, cum dolore oculi cruciante ac illacrymatione copiosa saevit, per noctem, paullulum mitior, continuatur, ac deinde usque ad reditum vesperi remittit, vel etiam per aliquot horarum spatium plane cessat. Inter acutissimos illius exacerbationis cruciatus ophthalmiae ſymptomata protinus indicanda quaevis maxime genuina apparent, quum propter congestionem humorum irritatione factam inflammatoria signa acmen adipiscantur. In illis accidentibus proprius examinandis tunicae scleroticae rationem primiter iniicere liceat; illam scilicet laborare percipimus e rubedine subcaerulea, quam efficiunt sanguifera subtilissima vasa, quae vix emersa e membrana confestim in illam retrovertuntur ac disparent, ac illa ratione brevissimos arcus formant, qui inter motitationes coniunctivae ipsos obtegentis firmo loco gaudent: quo malum vehementius urget, quo et diutius persistit, eo luculentius rubor confluit ac increscit in illa regione annulari, cui intus subtensum est ciliare corpus, eoque fit, ut circulus coloris chalybeo - rubiginosi (ex cinereo caerulescentis paullulum infuscati) signum ophthalmiae syphiliticae rarissime fallens,

corneam circumdet. Congestione humorum ea ratione circa marginem scleroticae anticum orta, mirum esset, nisi turgida scleroticae vasa annulum constituentia ramulos in corneam promitterent. Et revera non infrequenter accidit, ut tunicae haec pellucida saepe repentino cursu, etiamsi leviora caeterum symptomata inflammatio stitisset, tota quanta speculi, quod afflaveris, in modum obscuretur.

Haec illius offuscatio minime superficialis est, quam ab adnata derives, sed per totam corneae substantiam fusa, nonnunquam huius ophthalmiae symptoma primum existit, praecipue si larvata lues eam infert, — tumque non raro unicum infallax diagnosticum signum praebet. Quae vero corneae caligo variis controversiis nuper obnoxia, originem ducere visa est a liquoris turbidi inter laminas membranae facta morbosa exhalatione duce clarissimo Beer non sola, sed etiam a limositate humoris aquei camerarum oculi proficiscitur. Recentiora solertissimi Angli, James Wardrop *), inventa laminam corneae internam aliquoties solam inflammationem corripi demonstravere, quae, ob congruentiam cum corneitide syphilitica, ratiocinium admittunt, hanc nostram corneae tenebrationem forsan ab inflammatione laminae corneae internae, — quam celeb: Decemette, Francogallus, a cornea toto caelo diversam descripsit — sola nonnunquam ptoficisci posse.

*) James Wardrop in medico-chirurgicis transactionibus (published by the medical and chirurgical society of London) Vol. IV. 1813. — hanc inflammationem talibus fere describit. "Universalis corneae turbiditas cum singulis obscurioribus punctulis apparet; externus oculi rubor vix adeſt, sed quidam vasculosi funiculi corneam adeuntes, ſoli conspiciuntur. Sensus repletionis in bulbo, dolores in fundo orbitae photophobia minime gravis." — Ecce imaginem illius corneitidis, quam lue larvata nonnunquam inopinato eſſici observare licet!

Iris, vel uveam accuratius appellari malueris, humorem aqueum, quem clariss. Beer accusat, secernens, prima interdum inflammationis stamina alit cum tunica sclerotica, quod, ni cornea, aeque celeriter infestata, obscuritate sua prohibet adspectum, ex mutato illius colore apparet, qui antea canus in albido-flavescentem, caeruleus in viridiusculum abit fuscum vero sive nigellum rubicundo splendore mutat. Membranulae receptivitate exaltata non mirum est, quod illius apertura pupillaris ad lucis introitum, praesertim inter vespertinam exacerbationem, angustetur, factaque lymphae plasticae inflammatoria exsudatione per totam substantiam incrassetur, omnemque contractilitatis facultatem paullatim amittat. Inde provenit, ut iris in statu expansionis vel tantum in propria substantia concrescat, dum exsudativa inflammatio non sulum interstitia tenerae membranulae repleat, sed etiam pupillae margines inflammatoria crusta magis aut minus coniungat, vel vicinis quoque partibus lentis capsulae, corneae agglutinet.

Sed illo irritidis, perquam funesto, decursu periculosior existit alius, cum indoles morbi generalis sese eloquatur formandis in iride excrescentiis condylomaticis, quae modo persistentia visum prohibent, modo suppuratione tradita labem oculi totius exulceratione inducere minantur, attamen raro structuram bulbi penitus evertunt. Pro varia morbi vehementia directioneque vitia diversa oriuntur, ut synechia iridis anterior, ulcera corneae, prolapsus iridis, staphyloma simplex vel racemosum — synechia posterior, cataracta membranacea (et chorioidalis *).

*) De illa hucusque sub iudice lis est, an consitat in vasorum sanguiferorum in capsula coacervatione, — an potius ab adhaerentibus illi particulis nigri uveae pigmenti post reversam iridis contractionem ac inde profectam dilatationem pupillae, quae capsulae mediae per aliquod tempus agglutinata fuit, ibi persistentibus deduci debeat.

Chorioïdea membrana tandem, immediatae quidem lustrationi non patula, haud dubio partem inflammationis perfert: incerta res est, an iride prius, an serius adficiatur: quod mihi autem a vero minimum abesse videtur, modo haec modo illa morbosa adfectione praecedit alteram, quod ab ortu annuli scleroticae ex cinereo-rubicundi demetiri licet. Quo enim iste citius apparet absque simul adfectae iridis signis, quo que magis universa sclerotica obfuscata est, quod a varicoso chorioïdeae subtensae statu pendere videtur, eo minus abhorret a verosimili, tunicam oculi vasculosam cum processibus suis ciliare corpus constituentibus malo citius adfectam esse. Hoc in chronico statu inflammatorio oculi syphilitici contingere solet, quum vice versa, et in acutiore pathemate oculi antea sanioris, uvea saepissime phlogosi prima pateat, vasaque chorioïdeae diuturna humorum congestione demum extendantur. Inflammationem tunicae chorioideae valde molestus pressionis pulsationisque rhythmicae sensus in intimo bulbo concomitatur, et aciei visus diminutio maior, quam quae ex obscurationis corneae gradu coniici queat. Non dubium est, quin symptomata illa pressionem chorioïdeae congestione turgidae in retinam, ipsa circumseptam, profiteantur, utpote quem processum inflammationis, quod exitus ordinarius probavit, amaurosin potius quam iridis desorganisationem inducturum esse praedicimus. Retina vero an inflammatione syphilitica ipsa forte laboret, confirmationem ulteriorem postulat; quod amaurosis venerea non ita raro velocius orta et insigne illius rete vasculosum probare videtur, id abnegare forsitan admonet singularis illius membranulae structura, et observatio vix incerta, chorioïdeam vasorum suorum impulsu actioni nerveae tenerae tunicae infringendae sufficere.

Quibus enarratis oculi adfecti mutationibus internis dolorique osteocopo alia diagnostica signa adveniunt, quorum potentissimum existit manifesta luis praesentia; illa

tamen frequenter celatur modo fallacia, modo ignorantia aegri, qui antea quidem, ut non ignoravit, lue infectus et cura medici superficiali usus e fundamento sanatum sese putans, mali pristini mentionem supervacaneam ducit. Sincerum etsi rariorem indicem venerei mali adfert impetigo scabiosa in fronte efflorescens, praesertim in superciliis obstinaciter nidulans, quae non raro depascitur, vel adeo in palpebrarum cutem, earum margines immo internam earum superficiem proserpens, psorophthalmiae genus periculosissimum et pruritu maxime crucians efficit.

In quibusdam postremo glandulas Meibomianas et coniunctivam palpebrarum, cum eius appendice, qui lacrymales ductus investit, offendimus longinqua inflammatione a venerea caussa infestatas; tunc ob continuam oculi humiditatem, blennorrhoeam et laxitatem adnatae membranae palpebrarumque, praesertim inferiorum, quae latici lacrymali continendo ac abducendo non amplius sufficiunt, arthriticum oculi statum potius supponere liceret. In dubio illo, vel supra recensito statu oculorum, diagnosis ex iuvantibus ac nocentibus desumenda fido gaudet aliquoties conductore, aequali nempe corneae obscuritate sine manifesta caussa obvia, nec cum leucomate vel adnatae phlyctaenis et excoriatione (quam in chronica ophthalmia arthritica et scrofulosa freqnentem observamus) confundenda.

## *Prognosis*

maxima ex parte instituenda esse videtur e generalis morbi, vel minus vel magis sanabilis ratione, dum inquiritur

1) utrum lues nondum inveterata sit, anne

2) mascula nimis antisyphilitica cura aegri valetudinem penitus everterit, vel ipsi malo adfecti oculi liberum mercurii usum admittant, qui, magno teste Scarpa *), multis aegrotantibus sanguinem ad caput congerit, ab aliis ineunte cura largiori dosi adhibitus vix sustinetur, vel noxios effectus secundarios commovet, ideoque corrigentia, quae syphilidis curam protahunt, expostulat;

3) que, an oculi progressum aliuscunque generis malum sibi impressum habeant, vel ipsa, de qua loquimur, ophthalmiae nimios progressus fecerit.

Quibus de causis aegrotum brevi post contractum oculi antea sani malum, auxilium petentem, nec temerario mercurii usu debilitatum sanationis perfectae spem fovere iubemus, quum e contrario summe dubiam curam ineamus, si altius profectum offendimus oculi morbosum statum, vel scrofulosa morbillosaque, rheumatica, arthritica etc. inflammatione praecedente pessumdatum, constitutionemve modo vario debilitatam restituendam accipimus. Pro diversa mali sede, illiusque diversa sequela, uti per se intelligitur, curae spatium vel amplificatur, vel evanescit. Universim vero sententia valet, metamorphosin oculi syphilitico malo inductam, adminiculi chirurgici intolerantia prae aliis insignem esse, quod in cura synizeseos pupillae et cataractae mechanica ideam et manum ducat, necessarium est.

Amaurosis caetoriquin sanatu difficillima, venereo malo genita, nisi diutius sibi relinquitur, haud ita raro medelam admittere observata est, illaque ratione sola anamorphosis oculi syphilitica prognosin aliquantulum erigit.

*) vide l. c. pag. 266.

Cuius exemplis luculentis adsistere mihi contigit in nosocomio Gottingensi chirurgico, ubi tali coecitate adflictos duos clar. Langenbeck auxilio sanatos videndi fuit occasio.

Prognosis ab ophthalmiae diversa origine desumta inflammationem velociori cursu invectam sanatu faciliorem esse docet, quam lente a larvata lue irrepentem, sive alius generis obstinaci malo, arthritide, rheumatismo, scrofulis etc. inquinatam. Maxime funestum autem inflammatorium oculi statum ducere cogimur, quem orbitae degeneratio, exostosis aut caries induxit, vel sponte ortam incommodo adventu corrumpit.

Quae denique visum deperditum, raro quidem, nonnunquam tamen, restituere valet ars, in vestigio mali ignominiosi plane abstergendo salem aliquamdiu amittit, quo loco annularis illius scleroticae obfuscationis meminisse sufficiat, quae licet evanuisse credatur, tam frigore quam congestione quavis ad oculos facta persistentiam prope celatam iterato profert.

---

---

CAPVT SECVNDVM.

## OPHTHALMIA ARTHRITICA,

tam ob frequentiam, quam ob malignitatem quae maximo cruciatu, quo aegrum adficit, non minus ac perniciosissimo exitu frequente sese manifestat, summe adcuratam expostulat inquisitionem, cui facilitandae egregias partes nuperrime contulerunt viri complures in medicina insignes, inter quos celeb. J. Ad. Schmidt, quem maturius defunctum res medica luget, celeb. Beer, cel. de Walther, Benedict, Spindler nominavisse reverentia iubet.

Ophthalmia arthritica indolem generalis morbi fundamentalis, qui fibrosas corporis membranas sub ditione habere visus est, nequaquam abiiciens, tunicas oculi fibrosas, praecipue scleroticam primitus afficit: uti malum arthriticum generale, ita ophthalmiam arthriticam in vitio systematis (barbara voce sic dicti) indifferentis fundamentum habere mihi persuasum est, quod, ut infra videbimus, morbi sequelae satis superque demonstrant. Ex eo nempe, quod oculorum vasa sanguifera relaxatione congestioneque turgeant, non ausim ratiocinari, arthritidem verum esse primigeniumque vitium irritabilitatis, ut viri clarissimi Spindler et Benedict, aliique nonnulli contendunt. Non obstat enim inflammatoria quaedam affectio subtilissimarum arteriarum terminationum vasorumque potius humores limpidos vehentium, quibus inprimis scatent partes

quaelibet aponeuroticae, ut periosteum, ligamenta articulationum tendineumque musculorum quorumdam investimentum, cum 1$^{mo}$ haecce vasorum terminationes partibus, quibus adducuntur, indifferentibus iam ipsae intime immixtae utique attinere videantur, iisdemque, quibus haec indifferentia organa, mutationibus morbosis una expositae sint. 2$^{do}$ Comparatio deinde secernentia organa, quae systema productivum praecipue constituunt, parenchymatosa dico viscera, glandulasque universas, huiusmodi vasis abundantes corporis partes totidem testes afferat; — 3$^{tio}$ inflammatio ipsa, quod recentissima scripta docuerunt, morbum efficiat, in systemate productivo utique fundatum. Quod vero ad arthritidem, de qua agimus, pertinet, illam infestare videmus valetudinarios quidem, sed illos praesertim, quibus organa nutritioni reproductionique dicata, systema chylopoïeticum, officia debita negant, qui vel Baccho Venerique nimium sacrificati, vel manco victu animique pathematibus debilitati, male ordinata productivi systematis actione, et inprimis chemismi vitalis aberratione laborant, dum musculares vires pro tali corporis conditione satis strenuae, non raro eximiae remanent. Quali demum efficacia malum arthriticum in systema partium indifferentium saeviat — non leve pro indicata arthritidis sede argumentum — multifariae probant organicae massae mutationes et destructiones, quo pertinent arthritici tophi, varia metamorphosis ossium, affectio diversa communium integumentorum et ipsum inter acidi urinosi atque phosphorici (per urinam) excretionem aequilibrium vacillans, aut interdum plane aberrans.

Ad arthriticam oculorum adfectionem propius accedentes inflammationem huius indolis pro introitu ac decursu maxime variantem, et simplici illa, quae acutam et chronicam instituit, divisione non omnino contentam esse reperi-

mus, qua tamen, cum e longo tempore ophthalmiatris accepta manserit, et hoc loco uti venia sit.

### A. *Ophthalmia arthritica acuta.*

Tam velocitate decursus, quam accidentium proprietate differentiam ab eiusdem nominis chronica manifestam dedemonstat. Non amplius seiunctam hanc ophthalmiae speciem fere omnia scripta opthalmologica depingunt, inventa recentissima vero necessariam huius doctrinae partis mutationem induxerunt.

Ex quo enim institutione complurium virorum illustrium comperimus, ab ophthalmia arthritica acuta diutius cognita, quae bulbi oculi compagem internam adoriri solet, maxime discrepantem aliam acutissimam blennorrhoïcam existere, generis opthalmiae speciem alteram, acutam, ulteriori divisioni submittendam esse perse constat. Ea igitur ratio nos cogit, imflammationem acutam, chronicae ex adverso positam, pro bifaria sede in acutam intrinsecam, alteramque acutam externam sive blennorrhoïcam subdividere. Quae morbi varietates iam accuratius singulae nobis invisendae sunt.

#### a. *Ophthalmia arthritica acuta blennorrhoica vel externa*

De existensia huius ophthalmiae varietatis siquidem fere omnes, quos novi, scriptores illam silentio tansierint, dubitare vetat tam auctoritas virorum quorumdam perillustrium, v. C. Beerii, Benedicti, qui scriptis illam exposuerunt, — quam analogia, quae ipsam et eius similes ab arthritide retrograda profectas membranarum mucosarum et exhalantium affectiones, quarum aliquas, v. c. pulmonum catarrhum suffocativum, blennorrhoeam vesicae urinariae, fluxium coeliacum, hydropis varia genera etc. nominasse

sufficiat, intercedere vix et ne vix abnegari potest. Circa talem oculorum blennorrhoeam acutam ab arthritide genitam quamvis, quod palam profiteri non haesito, illam observandi nondum obtigit mihi occasio, dubia nulla foventem experientiae propriae defectus in ea describenda ducem sequi cogit celeb. Benedict, qui indesideratissimo de ophthalmiis opere talibus fere phaenominis stipatam illam depinxit.

*Nosographia.*

Elapsis quibusdam post id vel aliud momentorum caussalium infra memorandorum horis margines palpebrarum serpigine infestantur acerba, rubor saturatus oculos incarnat, tumor et ardor palpebras dolentes obsidet. At oculi balbum non solum dolor tenet ille gravativus, vix tolerabilis, sed in viciniam oculi quoque, in orbitae circumferentiam ac universum eiusdem lateris cranii dimidium extenditur summe dilacerans, aegrum ad insaniem usque cruciatu perducens.

Lacrymalis glaudula urentium lacrymarum profusa secretione morbo correptam sese prodit, iisque oculi irritationem in summum evehit. Membrana coniunctiva primiter inflammata magis magisque intumescit ac rubore subfusco perfunditur; margines palpebrarum internaque earum superficies pustulis obseruntur, quae pure diruptae liquorem suum corrosivum oculo infundunt, quo sequitur, ut corneae facies abscessalis priorum similibus obtegatur. Praeterea tota coniunctivae expansio mucum subflavum puriformem excernit, cuius ob acrimoniam in quovis adnatae loco ulcera prodeunt, eaque, ni coercetur inflammatio destruens, bulbum oculi perforant ita, ut vel obscuratione corneae, vel staphylomate, vel iridis prolapsu visus organon functionibus suis impar evadat, sive humorum effluvio, lentis cry-

stallinae procidentia generalique suppuratione peculiarem suam structuram in totum amittat, qua labe ocius adeo corripitur, si inflammatio primitus exsudatoria in compagem oculi interiorem translocata iridem in lymphae purulentae secretionem adigit, ac perinde cameris ambobus oculi repletis corneam ab interno versum perrumpit.

Morbi decursus, quî vidimus, impetuosus, eoque velocior magisque exitiosus, quo gravior magisque pervia caussa occasionalis praecessit, quove diutius desiderandum abest auxilium medicum.

### *Morbi caussa.*

Paroxysmo arthritico ab alia quadam corporis parte, quam usque tenebat, repulso, podagrae pedum refrigerio vel audace fortium remediorum usu topico profligatae, sudori pedum aut capitis suppresso, ulceri arthritico temere disiccato, aliisque huius generis rebus, quod observati casus exprobaverunt, originem debet.

Proxima caussa, momentis modo recensitis excitata, a consensu partium prius adfectarum cum oculis, atque a vicariante actione, qua consecutive laborans organum patet, deducenda esse videtur, cuius ideam apud ophthalmoblennorrhoeam veneream huic arthriticae quoad imaginem aperte conformem, satius professus sum

### *Prognosis.*

Ut in gonorrhoïca ophth. maxime tristis, spesque salutis, in auxilio praecoci sola stabilita, medicum vel peritissimum saepissime fugiet. Arthriticus paroxysmus in parte prius adfecta quam citissime resuscitetur necessum est, qua re feliciter exacta remedia oculis adplicita saevientem morbum in herba suffocare quodammodo valent. Ulte-

rius progressa tam destructoria ophth. si etiam inhibetur, in oculo certe relinquit violentiae suae monimentum.

b. *Ophthalmia arthritica acuta intrinseca,*

comparata cum blennorrhoïca iam descripta, iure quodam appellari poterit acuta sicca, quia, licet epiphora non rara illius assecta appareat, haec ipsa neque sempiternum neque gravissimum symptoma sistit, et internae bulbi oculi destructiones illa potissimum producuntur,

*Nosographia.*

Non minus quam illa humida, blennorrhoïca, illatam individuo arthritico noxiam vim velociter excipit diris, quae sequuntur, symptomatibus insignis haec oculi adfectio. Dorores nempe magnopere cruciantes aponeuroticam galeam et universum caput serrant, per totam nervorum supra — et infra orbitalis, atque communicantis faciei ramificationem vagantes, in orbita vero fixi recta ad occiput usque via repetito ictu retro feruntur.

Oculi adfecti ratione habita, sclerotica tunica qua membrana aponeurotica, cuinam parti structurae tendineae caussa prae ceteris inimicam arthritidem cognovimus, ante alias membranas in partes petita mali germina prima consuevit alere. Per totum ambitum intolerabili tensionis atque dilacerationis sensu oppressa scarlatinoso fere inflammatorio rubore tingitur, qui maxime concentratus apparet versus corneam, attamen annulum albidiorem, proxime circa marginem corneae, relinquere solet. Caeterum coniunctiva quoque nisi vere inflammata, tamen ob irritationem contiguarum partium, aliquantum erubescit, quod laetioris coloris rubicundi scleroticae, quam in syphil. ophth. adesse conspicitur; caussa esse videtur. Vero non ita diu postea scle-

rotica magis infuscatur ob nigellae chorioïdeae membranae supervenientem adfectionem. Damno scilicet eodem afflictae membranulae laxae vasa varicum in modum congesto saeguine infercta, aliorsum evitare nescia, scleroticae circumtensae apprimuntur, immo exsudatione agglutinante illi coniunguntur, quare tunicam hanc alias albedine nitentem cinereo colore tingunt.

Quae si diutius instat inflammatoria humorum accumulatio, staphylomatum scleroticae formatione terminatur, quum haec tunica, quamvis durissima oculi, pressioni adauctae pedetentim cedens tenuior avadat, nigelloque chorioideae colore transparente in colliculos elevetur, quibus oculi rotatio maxime praepeditur.

Inflammatio a chorioïdea altius prolata in cellulosam hyaloïdeam tunicam penetrat, unde corporis vitrei tristis obscuratio, quae glaucomatis nomine venit, genuina ista proles arthriticae ophth. originem habet. Fundus oculi bulbi, antea lucis radiis patulus, caligine celatur, viridis apparet, obscuratioque membranae hyaloideae cum perversa liquoris secretione critur, qualitate sola vel et quantitatc mutati, quarum haec generat glaucoma, illa vero hydrophthalmum vitrei corporis inducit. In illo casu crystallinum corpus, pelluciditate rarius simul amissa, versus anteriora emovetur, pupillam maxime dilatatam transgredi minitatur, et in corneam adprimit ut anterior oculi camera penitus paene dispareat. Exanimi tunc et horrido vultu riget organum visus omnium venustissimum — bulbus oculi durus admodum fit resistentibus increscenti humorum copiae tunicis fibrosis, vasa scleroticae primitus adfectae ipsiusque coniunctivae sanguine ab intestino bulbo represso turgent, donec, infracto paullatim vigore, tunicae relaxantur, oculusque instar abscessus fluctuat, qui paullo post ultra modum extensus crepatura contenta quaevis effundit ac in foedum germen concrescit.

Alia glaucomatis et hydropis vitrei corporis adest genitrix nulla tam ferax tamque vehemens, quam ophthalmiae arthriticae haec de qua loquimur, species, quae sive anticam hyaloideae membranulae partem aggressa, cataractam membranaceam simul efficit, sive posticam regionem vitrei corporis infestans, cui dignissima retinae pars contigua est, nempe foraminis flavi circumferentia, nerveam tunicam in mali partes adigit, eoque videndi facultatem inhibet antequam visibilis oculi mutatio, scilicet fundi viror, appareat. Quae vero hac de re, iam nimis diu nos occupante, amplius dici potuissent, ad speciale caput de glaucomate pertinent.

Haud ita frequenter quam scleroticae adfectio reperitur corneae lentisque cum capsula primigenia arthritica acuta laesio, quae non obstantibus huiusmodi casibus observatis non frequentibus chronicam ophthalmiam arthriticam praesertim allicere solent. Restricto sensu eadem de iride dici possunt. Ut verbis viri summi de Walther *) utar, non desunt enim exempla (minime rara), quibus inflammationem arthriticam acutam, indole sua perquam abnegata, vasculosas praecipue bulbi oculi membranas adortam, ac synizeseos pupillae genitricem offendamus. Ille si casus evenit, iris adspectum plane mutatum offert, tam, quod ad ipsius colorem, quam ad formam directionemque pupillae spectat. Pupillaris margo enim cum uvea versus anteriora circumvolutus inaequalis et quasi laceratus apparet, formaque perpendiculari-ovali conspicuus est. Plane deperditus est visus, quam pessimi generis colorisque virescente-flavi cataracta supervenire soleat, cui singulare quoddam observatum celeb. eiusdem viri (de Walther) addendum est, sensoriali huic lucis percipiendae facultati penitus amissae maximam non raro photophobiam sociam addi, qua fiat, ut lux aegroto

*) vid. ej. Abhandlungen aus dem Gebiete der praktischen Medicin, insbesondere der Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. II.

inhabitans atmosphaera lucis ipsi peculiaris illum circumdet vanaque visus recuperandi spe animum eius decipiat. Attamen ista iritidis malignitas rarior est, quam ea illius directio, quae synizesin solam, aut cohaesionem iridis cum lentis capsula, ideoque synizeseos cum cataracta capsulari complicationem procreat, quae complicatio symplex ab illius cum amaurosi comite associatione difficulter dignoscitur. Retina demum, etsi ophthalmia, quam tractamus, immediate non crebro affligi visa, tamen effectus eius a partibus, quos intermedia separat, sibi communicatos noxios perpetitur. Chrorioïdeae nempe membrana vasis congestione inflammatoria refercdis tumida, vitreoque corpore supra indicato modo vel indurato vel expanso, tenera illa nervi optici propago medullaris comprimitur, quare sequitur ut paralytica denique facta quos iam obscuratio vitrei corporis praepedire forsitan satagit, lucis radios sentiendi facultatem omnino perdat. Aliud originis genus amauroseos arthriticae, quando scilicet sola, sine alia visibili mutatione oculi morbosa efficitur, ex altissimo photophobiae gradu derivandum est; inter nimiam enim adfectionem nervorum oculi ciliarium et retinae, quam in atrocissima hac ophthalmia, dolorum vehementia omnes alias antecellente, (fortuito vera ophthalmitide sola excepta) observamus, omnis reactionis vis exstinguitur, et omnino passivus oculi status intrat.

Atrophia bulbi oculi denique arthritica inflammatione nonnunquam nascitur, quod modo in reproductione ab acuta ophth. pessumdata, modo in colliquatione bulbi, modo in cessante vel imminuta humorum internorum secretione, cui uvea membranaque hyaloidea, fontes destinati, servitium negant, consistunt.

Quae iam absolvimus morbi symptomata, licet eius malignum decursum in oculo debilitato vel destructo nimis comprobaverint, aliquantum iteratae accessionis metu supe-

rantur, quum, pugna in uno oculo debellata, malum cum eadem saevitie post aliquod intervallum in alterum oculum reverti permultis iisque tristissimis exemplis cognitum habeamus.

*Momenta caussalia.*

Origine gaudet eadem, qua soror prius adspecta; sed vulnera quoque oculi bulbo vel casu, vel e consilio inflicta, v. c. quaevis operatio chirurgica quam in oculis valetudinarii cuiusdam arthritici in vitium pristino quodam malo inductum amovendum pericliteris, acutissimae huic ophthalmiae libenter ansam porrigunt.

Revolutiones organismi generaliores, illaeque potissimum, quae plethoram efficiunt in arthritico subiecto, si topico interno vel externo caussali momento allectantur, oculos frequentissime petunt, saevique illos inflammatione, qualem cessante fluxu menstruo vel haemorrhoïdali non raro provocatam occurrimus, conficiunt.

*Prognosis.*

Consideratio pruegressa duarum ophthalmiarum gonorrhoicae nempe, blennorrhoïcaeque arthriticae acutae satis iam adsuevit animum tristia prognostica percipiendo, ut prospectum huius mali funestum sustineat. Dira enim illius symptomata supra recensita medicum auxilii gaudio frui raro permittunt, si amplius progressa sunt, ac ineffabili, quo caeteras fere omnes oculi adfectiones longe antecedunt, cruciatu aegrum desperatione vitaeque taedio complent. At vero increscit horror infortunii, quum, initio plurimum unico oculo infestato illoque destructo nondum mitigari soleat, sed certo quodam temporis intervallo, seu vix ullo nonnunquam interposito, immites pristini mali furias

reduces in oculorum altero cladis signa petulantia erigere saepius intueri cogamur.

Exitus perniciosus insequitur, nisi primo accedentis morbi sensu conterritus aeger in auxilium quaerit medicum artis vere peritum, qui si matura vi obnititur, ineuntem adversarium a limine propulsare valet interdum, saepius autem in artis menda lugenda ducitur, quum increscens malum, ni vim plane destructoriam exercet, vestigia tamen praesentiae pro casu varia relinquat.

## B. *Ophthalmia arthritica chronica.*

Aliquoties nihil est aliud, nisi continuatio eiusdem acuti mali praeteriti, si, fracta illius vehementia, symptomata remittunt, lentiorique mitigato cursu perdurant. Quo peioribus accidentibus acuta inflammatio stipata fuit, eo turpiorem formam quin proferat, chronicae vix deest, quae propter oculi destructionem antea peractam interdum in alio nihilo consistit, nisi in permanentia dolorum, sive molestia a varii generis vitiis profecta, quo pertinent scleroticae staphylomata, hydrops oculi, aliaque praegressae ophthalmiae proles incommodis suis per omnem vitam infestans. Sed etiam altera, eaque multo frequentior ophthalmia arthritica, lentissima initia capiens, ideoque a primordiis usque chronica dicenda exstat. Vagae scilicet adfectiones arthritidis anomalae in illis vel aliis corporis partibus hucusque ambulantes, talibus seu levius infestatis, seu penitus derelictis in oculos forte deferuntur.

Ophthalmia inde nata pedetentim irrepere solet, et si ratio habetur tam apparitionis modi, quam oculi partium, quas prae aliis maxime solet aggredi singulas, mirum quantum ab eiusdem nominis acuta abhorrere frequenter visa est.

Plura denique de chronici huius mali natura sequentibus enitebunt, qraesertim ubi de caussis agitur.

### *Accidentia morbi.*

Praecursores magis vel minus praefestinantes malum annuntiare solent dolores maxillarum atque dentium, hemicrania vel universales cephalalgia, susurrus aurium, catarrhique narium — molestiae valetudinarios arthritidis anomalae vix unquam deserentis — exacerbatio etc. quae omnia denique in oculum, ut mihi videtur, saepius utrumque collata scenam aperiunt.

Decursus ophthalmiae tali modo suscitatae maxime incertus partim a pristino statu oculorum, qui vel antea bene valuerunt, vel ab alius generis malis, aut ab eodem, quo denuo nunc afficiuntur, forsitan frequentius antea infestati, aliqua ratione debilitati manserunt, partim a dispositione aegroti, illius vitae genere, immo caussali momento pendere videtur. Quae eam ob rem pro generali dici poſſint, talia fere sunt: quibus laxa est externa cutis, et in blennorrhoeam propensa illius interna propago, v. c. sinus organi olfactorii viasque lacrymales investiens, eorum palpebras adnatamque oculis membranam adoritur, et corneam brevi passu attingit, quod saepe tritum eius iter est atque praecipuum, si scrofulosa inflammatio aliave hanc viam patefecit, idem contigit hominibus, qui tempestatibus expositam vitam agunt, v, c. ruricolis — sic et in fumo, pulvere, acribusque vaporibus impraegnato aëre degentibus coquis, molitoribus et stabulariis.

Internae vero bulbi oculi membranae non rariori casu adficiuntur, si valetudinarii congestione humorum versus caput oculosque praecipue laborant, quod fieri videmus in iis, qui per vitam sedentariam intenso visu egent, quique ante flammas artem factitant, quamobrem affectionibus iridis corporisque crystallini vitiis prae caeteris obnoxii sunt.

Haec, etsi caussalibus momentis adnumeranda, praemittere non dubitavi — quibus, si nosographia ordinem male servaret, in excusatione peridoneis uterer.

Subsequente vero specie oculus adfici frequentissime conspicitur. Ardor et serpigo palpebras ac involucrum bulbi oculi adoriuntur, quos rubedo coniunctivae calce sequitur, subinde in scleroticam extensa, vasis illius ad irritationem humoribus turgidis apparentibus.

Lacrymalis glandula, simul in partes invitata primo sistente secretione oculum tenet siccum, vero post breve momentum spasticae praeclusionis laticem fundit abundantem quidem, sed ob acrimoniam suam oculo minime proficuum. Status ille summae irritationis oculi si diutius perdurat, quid mirum, quod iridi denique damnum afferatur, et ab initio magnus timor lucis in summam illius intolerantiam evehatur. In tali opthalmiae exordio coniunctiva palpebrarum et bulbi oculi, quaeque illa obtecta est cornea, primariam inflammationis sedem constituunt. Continuo lacrymarum acrium adfluxu, quae, simul inflammatis ac tumescentibus viis lacrymalibus in oculi fovea diu morantur, donec in genas redundant, aeger ad indesinentem nictitationem incitatus, phlyctaenarum ortum ipse maxime promovet, quae pressione palpebrarum (immo terentium digitorum) apertae laneo quasi velo corneam adumbrant, vel in ulcuscula abeuntes corneae substantiam intimam inficiunt, ibique inflammationem serunt. Altius ita procedens exsudationem plasticae lymphae inter laminas corneae promovet, qua vel impellucida puncta sola generantur, vel, intenso malo, abscessula profunda nascuntur. Tunc ulcera corneae aperta fiunt aut, quod itidem non raro invenitur, diu clausa permanent, ac in fistulas denique completas humorem aqueum propullulare sinentes, sive incompletas internas vel externas abeunt.

Singulari saepe haec arthritica ulcera corneae forma praedita sunt, scilicet semicirculari ob lamellarem tunicae texturam, striasque formant semilunares flavas, utplurimum finibus scleroticae propriores, quae, nisi vascula nutrientia margine scleroticae emissa incurrant, eoque locum indicant, spectatorem minus attentum saepe fugiunt, quam intuitus a latere profectus eorum praesentiam facili negotio dignoscat.

Sclerotica tunica vero aliquanto rarius et minus impetuose laborat quam in acnta ophth., quum e contrario corporis crystallini obfuscatio ex hac (chronica) saepius ortum ducat, ac lentam iritidem non ita raram illius propaginem myosis vel et synizesis pupillae soleat excipere.

Gataracta, processu isto formata singulare perfrequens in eo spectaculum offerre conspicitur, quod arthriticum oculi pathema longinquum in lente quasi obitum assequatur. In illa nempe symptomata postrema inflammationis exserens, ibi requiescit, nisi experimentum cataractae aufferendae vel removendae intempestive periclitatum ophthalmiae arthriticae chronicae vires obdormefactas, ac paene exstinctas, denuo refocillat, relapsumque forsan acutum inducit.

Sed in eiusmodi casu etiam indolem suam non mentitur, quum, etsi alterum oculum, post lentem in sedem quietam assumtam, molestari cessaverit, altero damno eodem adficiendo multoties non abstineat. Lentis illa via mutatae colorem ut plurimum ex viridi-flavum fieri, eiusque substantiam vixdum gelatinosam duritiem fere corneam accipere vidimus.

Illa fere de mutationibus oculi internis mihi dicenda in penu erant, quae, quod cum pudore profitior, malam

huius ophthalmiae imaginem exhibuerunt, inordinatus vero morbi decursus, ac infinita illius deviatio iuvenem me, scriptorem minime exercitatum, aliquo modo excusatum habeant.

Nonnulla denique in oculi vicinia, potissimum illius operculis in arthritico statu accidentia addere, ut non desim, dolorum per noctem syphilitico modo in circumferentia oculi ossea praesertim in osse zygomatico et maxillari superiore, dentibusque saevientium mentionem repetitam iniicio; illius cruciatus arthritici singularitatem partim in acuta ophth. tetigi, partim in diagnostica sectione curatius persequar.

Affectio arthritica non raro externum integumentum circa oculos seminio suo inficit, quo impetiginem, frequentem illam arthritidis propaginem, in fronte genaque progerminare conspicimus. Quod autem multo saepius accidit immo diutius persistenti ophthalmiae huic nunquam deficit comitans signum, flacciditas est summa communium integumentorum in facie, quae insuper in caetera corporis superficie adesse solet. In fronte, palpebris et genis contractibilitatem suam cutis aliquoties tantum in excessum amittere conspicitur, ut plicae pressione digitorum in illa formatae per minuta, immo per quadrantem horae vel diutius fere immutatae persitant. Summa haec illarum partium cutis laxitas oculum ob intolerantiam lucis et serpiginem inflammatorium frequenti nictitatione contegendum incommodo, quod videbimus, maximo saepe adferunt. Superior scilicet palpebra pondere suo detracta in oculum prolabitur non solum, sed resistente quoque lamina palpebrae interna cartilagini adfixa, laxius involucrum externum aliquanto profundius incumbit, cilia corneae approximat, ac irritatione inde profecta in contractionem excitatum musculum orbi-

cularem facili negotio sequitur, quo facto inferior illius margo totus introvolvitur et entropium efficit.

Eadem caussa, cutis externae laxitas, omnino contrarias sequelas habere solet in inferiori palpebra, quae itidem pondere suo, genaque flaccida propendula deorsum tracta frequenter ectropium format, quo fit, ut lacrymae ob irritationem oculi vel ab entropio palpebrae superioris, vel ab imperfecto vestimento partis inferioris bulbi, vel ab utraque socia caussa profectam copiosius obortae, alveo vitiato in genam èffundantur.

Subinde vero haec arthriticae ophthalmiae chronicae imago perfectionem assequitur, dum glandulae Meibomianae, omnesque muciparae oculi partes morbosa secretionis exaltatione et mutatione patent, quod, cum frequentissime sine tali perverso palpebrarum statu pro se, sub forma lippitudinis chronicae arthriticos adficiat, in tanta partium mucum secernentium irritatione eo gravius instare exspectandum est.

Ob frequentiam casuum huius generis varietates numerosae magis vel minus memorabiles observantur; ita frequenter accidit entropium duplex utriusque palpebrae eiusdem lateris, vel entropium inferius solum, cui vero abnormis ciliorum directio fere sola caussa subesse solet, quum entropium superius ob structuram palpebrarum multo facilius oriatur. Quae tamen oculi damna hoc mechanico vitio procreentur, superiori loco iam indicavi. Deferimur itaque ad omnium horum accidentium

### *Momenta caussalia.*

Chronica, non aliter quam acuta, ophthalmia in valetudinario statu corporis nixa est et momentis evocatur similibus, attamen minus violentis visis, cuius rei ratio quae-

renda est modo in absoluta nocivorum efficacia leviori, quamvis diuturna, modo in aequali, attamen ob inertiam torpiditatem ac debilitatem constitutionis imbecillis in topica generaliaque incitamenta reagere minus compotis, pro relatione infracta nititur.

Casus alter huius mali offertur in chronica vitiorum, quae ab acuto simili provocata sunt, persistentia; alter, idemque frequentior ex arthritide anomala incrementa lenta capit, quamobrem in debilioribus individuis, quorum vitales vires acuto paroxysmo arthritico formando non sufficiunt, illum offendimus, potissimum inter aniculas ab anno inde quadragesimo — etsi natu minores interdum aggrediatur — ad usque vitae terminum, et viros inter infirmes aut eos, qui podagricis insultibus pristinis debilitati molestias irregulares arthriticas ferunt.

Diuturna quaevis oculorum intensio laboriosa, frequens in atmosphaera fumosa pulverulentave commoratio, transspiratio capitis inhibita, impetiginum arthriticarum desiccatio, corporis humectatio demum arthriticis tam noxia, eiusmodi valetudinarios oculorum aegrotatione adficit, quae, aliquo modo aërometrum organicum exhibens, bonaeque adversae tempestatis vices subit, typo cum caetera corporis arthritica molestia utplurimum mutuo, interdum autem illi consono. Status oculorum tali modo aberrans quodvis peccatum diaeteticum aegre ferre conspicitur, quod amplius invisere vix necessum duco.

### *Prognosis.*

Tam ob lenta morbi incrementa mitior est ipse visus, quam ob moderatos illos gradus medelae aditum aliquanto liberiorem statuit, ideoque rarius quam eadem acuta adfectio periculum instans oculi destruendi minatur. Auxi-

lium vero, quod admittit, vix unquam radicale iudicari potest, sed eodem, quo acuta, primario morbo innixa, et aequo charactere insignis, germini vix unquam evellendo pertinacem debet existentiam. Id, quod nullo modo de indefessa huius ophthalmiae, quae sponte sua nonnunquam per diutius tempus intermittit, perdurantia asserere ausim, de arthritico fomito in corpore valetudinario cum resuscitandi oculorum mali summa proclivitate restante firmiter contendi potest, usque genuinae arthritidis anomalae penitus eradicandae viam aliquis patefecerit. Iste vero, magnus Apollo nobis salutandus, hoc pathema ex individuo corpore non solum everrat, sed illi adversas etiam externas conditiones a macrocosmo profectas sub ditionem cogat, nisi morbus recidere debet.

De radicali cura quid ergo sperandum sit, manifestum apparet. Auxilium palliativum autem saepe contingit; immo, quae morbi violentia inductae sunt aliquarum oculi partium destructiones in lucido intervallo valetudinis, ac in placido tempestatis statu, chirurgico adminiculo summe cauto saepe reparantur, quod imprimis de vitiis corporis crystallini, interdum etiam iridis, palpebrarum et ductuum lacrymalium dictum valet.

## Caput tertium.

## OPHTHALMIA RHEVMATICA.

Disceptatio diuturna intercessit ophthalmologos, hunc oculi affectum inflammatorium ab aliis illius similibus separatum peculiaremque constituentes, et ab adversa parte cum ophthalmiis catarrhali vel arthritica confundentes, quam adeo usque non terminatam usurpamus in eo, quod recentium scriptorum plurimi selectum caput ei concedere negaverunt, sed alius in catarrhali contemplanda, in arthriticae descriptione alius mentionem illius fecerit.

Quam vero nihil obstantibus affectionum diversarum complicationis, alteriusque in alteram transitus non raris casibus, nihilominus ac rheumatismum acutum pro singularis indolis morbo (oculi) agnoscendam persuasum mihi habeo ex institutione celeberr. praeceptoris, clar. Himly, cuius demonstrationes in praxi militari praecipuo studio observatae successus felicissimi spem raro fefellerunt.

Sed quae pro illa veritate firmanda dimicent ex symtomatibus atque decursu ophthalmiae facili negotio desumenda praesto sunt.

### *Nosographia.*

In hominibus tam illis, qui optima valetudine antea gavisi sunt, quam quibus adfectiones rheumaticae antehac

supervenerunt, praegressam caussam inferiori loco denominandum, sub febrili quodam insultu et rheumatico syncipitis dolore oculum ingravante, praesertim in apophysi temporali ossis frontis fixo, permolestus excipit siccitatis sensus et punctorius oculi dolor, plerumque unius, sed ocius serius, post aliquos dies ut plurimum, in alterum sese extendens vel in illum abiens. Illud oculi pathema rheumatismi prae se fert indolem, ex ea re diiudicandum, quod musculis bulbi oculi primum dolorem et rigiditatem adfert, et ita motitationes oculi mirum quantum impedit, summeque dolorificas reddit; quoque loco musculorum illorum tendinosa extremitas durae bulbi membranae supertensa inhaeret, lateribus ut plurimum temporali nasalique, dolores illi rheumatici validissime urgent.

Sclerotica tunc ante caeteras oculi partes irruenti malo exposita, inflammatorio rubore tota perfunditur; ille sub caeruleum petalorum rosae centifoliae colorem proxime imitatur, et peculiaribus signis a catharrali, simili dignosci potest. Sanguifera nempe scleroticae vascula subtilia, statu sano limpidos humores ducentia, ingesto per inflammationem sanguine turgida, vix emersa post cursum brevissimum denuo tunicam intrare conspiciuntur, et firma stabilique sede in dura membrana gaudent, quo fit, ut punctula subrotunda in sclerotica forment, quorum genuinus rubor a supertensa caeruleo-albida coniunctiva aliquantum mutatur, et caeruleum splendorem accipit.

Catarrhalis autem ophthalmia integumentum oculi cutaneum, adnatam scil. membranam, coccinea rubedine perfusam demonstrat, et carnis luxuriantis ad instar emollitam, cuius vasa maxime amplificata, et longo a canthis oculi palpebrisve incepto cursu producta, huc illuc directas motitationes leviter sequendi facultate a scleroticae vasculis immobilibus facile dignoscuntur.

In ophthalmia rheumatica rubedo et calor externae palpebrarum cuti saepe communicantur, ideoque in oculi cantho interno et externo dolores in ligamenta palpebralia ibi locata extensos efficiunt. Hocce vero symptomate characterem primigenii morbi declarat oculi malum; qua rheuma nempe membranas aponeuroticas et musculos, hoc in loco autem bulbi musculos illisque intime connexam tunicam scleroticam et orbicularem palpebrarum, huiusque musculi tendineas partes in canthis oculi sitas adoritur, unde periphericus tumor palpebrarum etc. explicari possunt.

Rheumatica inflammatio, sicuti catarthalis vespertinis acerbationibus tollitur, dolorum autem intensione et extensione, photophobia que ob frequentam in ipsa iride inflammationem longe superat catarrhalem, quae velamenta oculi externa lacrymaliaque organa, glandulasque Meibomianas adorta, epiphora primum, deinde blennorrhoea profusa vim suam ostendit, quum e contrario rheumatica partes oculi musculosas rigidioresque membranas infestans, blennorrhoeam pro se nunquam inducat, et lacrymalem glandulam immediate non adficiat, quae tametsi a vicinis oculi musculis irritatione in ipsam traducta secundarie infestatur, ideoque pro diverso gradu incitationis, e pressionis atque percussionis in fossa lacrymali sensu noscendae modo xerophthalmiam molestissimam, eamque frequentissimam, modo epiphoram rheumaticam, multo rariorem, efficit.

Iuxta sclerotitidem interdum inflammatam invenimus corneam quod illo fere modo fieri solet; — in margine scleroticae nascuntur phlyctaenulis aliquanto profundiores abscessuli in tela cellulosa inter membranam duram et coniunctivam, qui non ita raro supra fines corneae diffusi tunicam illam erodunt, et morbosam hanc productionem latius exserunt, quo sequitur, ut corneae peripheria coacervatis albuginibus, ut plurimum parvulis, obsideatur; epiphora

superveniens illorum ortum acrimonia laticis effusi praeprimis accelerat. Aequalem autem corneïtidem ac universalem in hac ophthalmia simplici nusquam observavi, nec observatam comperi.

Saepius, quam corneam adoritur, introversa inflammatio rheumatica iridem eamque pro charactere suo, musculosae partium structurae praeprimis infesto, qua membranulam nisi vere musculosam eiusmodi texturae tamen maxime congruam, in partes mali trahit, omniaque superiori loco recensita iritidis symptomata cum bono frequentiori, — vel adverso exitu profert. Exsudatio plastica levior observatur, quam in syphilitica iritide, eamque ob rem multo rarius excrescentias et cohaesiones cum vicinis partibus, atque pupillae synizesin efficit. Non raro diuturna observatur, et oculi functionem prohibet, immo, ob adfectionem nervorum ciliarium, tunicae nerveae oculi damnum adfert, quod, nisi iusto tempore ars obnititur, amaurosin excitare valet.

Tali via incedere solita, istisque, quas supra enumeravi, generalioribus corporis adfectionibus febrilibus et vagis aut fixis doloribus stipata, rheum. ophth. campum aperit ac transvolat, quae acutum illius decursum satis probare videntur. Saepissime nempe generalia symptomata valetudinis adversae post aliquorum dierum vel septimanae spatium evanescunt, dum oculi status morbosus non amplius increscens, sensim sensimque reconvalescentiam adtingit, ut intra septem usque quatuordecim dies mali vestigia quaevis abstergantur, excepta quadam in idem recideudi proclicitate. Velocissimus exitus est, si oculus unus solus adficitur, puallulum tardior si uterque, sed sine insigni intervallo alter post alterum ophthalmia corripitur. At vero casus obveniunt etiam non infrequentes, qui statum inflammatorium vel incrementa summa capere, vel diuturnum atque malignum fieri, ac ophthalmiam vere chronicam evadere osten-

dunt. Quod si evenit, pro diverso valetudinis statu vel aetate individui maxime diversas mutationes oculorum offendimus, quae a rheumatica illorum affectione admodum abhorrentes scrofulosam postea, sive arthriticam, sive syphiliticam ophthalmiam ipsam insecutam exhibent.

Quibus scilicet verbis aliud nihil affirmari velim, nisi veritatem indubitandam, quod haec ophthalmiae genera sub rheumatica forma frequentissime nascantur.

*Momenta caussalia.*

Omnes occasionales topici rheumatismi caussae, quibus adnumeratur universale corporis sive partiale faciei vel capitis in perflatu venti captum refrigerium, hoc malum sporadicum in quolibet coeli statu, et cuilibet homini perquam validissimo suscitate valent; facillime quidem, quibus antegressa haec ipsa, vel alius generis ophthalmia invalidos reliquit oculos, quibusque cachexia quaedam universalis (venerea, scrophulosa etc.) inhabitat, externo momento leviori subito deflagrare conspicitur. Nulla inflammatio, ne catarrhali quidem excepta, frequentior observatur epidemica, quia tempestatem fere quamlibet, si diutius perdurat ac peculiari vigore exaltatur, in partes suas accipit, unde oritur, ut epidemia huius ophthalmiae modo aestuosa, modo humido-frigida atmosphaerea permultos diversae conditionis homines aggrediatur. Eo quod epidemica intrat, ad amussim persuadet nobis ab arthritica discrepantiam indolis non solam, sed etiam affirmationem adfert opinioni, rheumatismum, certe febrilem, internam corporis dispositionem ac valetudinarium statum non supponere.

Sunt, quibus oculi quovis aequinoctii reditu rheumaticam ophthalmiam subeunt, immo non deficiunt observati casus ophthalmiae menstruae rheumaticam omni modo

aequantis et in ipsis maribus, ut in praesentia videre datum est, obviae, quae — si quid recte video — vicibus lunaribus regitur.

*Prognosis.*

Huius morbi, si oculos antea validos obsidet, ac si tempore iusto medicum auxilium obviam agit, plerumque talis est, qualis sanationem tutam citamque, (qua pathematis adfectioni generali — febriculae nempe rheumaticae, brevi terminatae — cuius topicam exasperationem sistit, non absonae) polliceatur. Incommodum unicam, ordinarie illi adiunctum, quod oculum unum post alterum aggreditur, intensione leviori symptomatum aliquantum expiare visa est.

Contrarium autem expectandum est in valetudinario statu oculorum et in humorum varia discrasia supra memorata, quae decursum opthalmiae pro se faustum singulariter depravat, ac velocem retardat. Itidem male curata quaevis simplicissima facili periculo degenerari potest, quoad accidentium gravitatem non minus quam ad exitum et persistentiam, quoniam apparitione regulari, scilicet affectione musculorum oculi, scleroticaeque turicae phlogistica, cum leviuscula iridis societate, plus minusve posthabita subinde gradum e vitiis in oculo residuis variis, v. c. pupilla defigurata sive clausa, vel obscuratione corneae topica etc. diudicandum, assequatur.

## Sectio altera

## SCIL. DIAGNOSTICA.

Praemissa, qualiscunque sit, ophthalmiarum trium singularum adumbratio, in qua minus ordincm apparitionem morbi, sicuti paullatim increscit ac sensim mutatur, quam singula accidentia ab initio usque ad finem progredientia peculiaria ob oculos ponendo operam dedi, comparationem ac diagnosin paullulum saltem facilitabit.

Priusquam autem ad propositi terminum, diagnosin, procedam, similitudinem diversarum ophthalmiarum probare periclitabor in sectionis

### Capite priori.

### DE SIMILIBVS ET CONGRVIS, QVAE DIVERSIS NOSTRIS OCVLI INFLAMMATIONIBVS COMPETVNT.

Convenientia diversarum harumce specierum ophthalmiae sequentibus in evidentiam sublata, cum in symptomatibus non solum, sed primo intuitu nonnunquam ipsa in caussae proximae, immo iuvantium et nocentium ratione

argumentis abundare conspiciatur, infelicis earum curae principalis caussa existit. Qua de re summam adtentionem iam diu mihi extorquebat, satisque gravis apparebat, quam viris capacibus fructuosius pertractandam discederem.

Interea tamen, quae in solatium aegrotantis et honorem medici discrimina reapse praesto sunt, siquidem in praxi difficulter interdum animadvertantur, pro viribus inquirere curatius studebo, nimis contentus, si procul a meta saltem non penitus operam amisisse iudicabor.

Iam vero sequentia fere sunt, quae trigemini morbi characterem sociare mihi videntur.

1. Indoles morborum generalium, e quibus ophthalmiae praesentes originem ducunt, in permultis consentanea apparet, quod illis forte probatum habemus.

*a*) Quivis *) morborum illorum fundamentalium indifferentis systematis malum sistit, cuius extremus nisus organismi, qua materiei, mutationem atque destructionem appetit. Partes nempe violat in infimo vitalitatis gradu locatas et quidem pro conaminis initio sive progressu vario modo, variaque vi provehitur. Hac etenim ratione membranas adoritur quam aponeuroticas et serosas, tam pituitarias nonnunquam, ligamenta diversi generis, periosteum,

*) Rheumatismus quidem in musculis, praesertim initio, sedere solet; attamen quaestio libera est, et non penitus ad irritum perducenda, eorum tendineam partem, ac aponeuroticum velum illo primiter affici, cum illis musculis, quibus tendineae fibrae intertextae sunt, v. c. cucullari, omnibusque dorsalibus, galea aponeurotica cranii, musculis in externo latere superiorum extremitatum, et in antico inferiorum, et sic porro — primaria sede gaudeat, sed e contrario vix ac ne vix unquam in mollioribus ac mere musculosis iisdem organis offendatur.

et ipsi ossium substantiae non parcit. Si vero

*b*) corporis alia systemata simul adficiuntur, eaque ratione pathemata, a primum recensitis omnino diversa oriuntur, aequiter in primario genere adfectionis posita sunt, ac naturae conamina potius dicantur, quae momentis noxiis obnituntur, vel abnormibus productis everrendis student, quod, ut brevibus absolvatur, e substantiae organicae mutatione dynamica et physica, quae que ista producitur normalis virium vitalium efficaciae turbatione necesse profluit.

*c*) Structurae organicae subversionem iterato nominatis morbis ante alios subesse finem et scopum, illius affirmationis specimina luculenta offerunt

*α*) profundae syphilitico malo in glandulis, membranis pituitariis et aponeuroticis; v. c. in viis respirationis, in dura meninge etc. ossiumque involucro et interna eorum compage productae, deinde

*β*) Tumores iuxta articulos tam hydropici, quam fungosi, frequenter exulceratione partium tendinosarum et cartilaginum, ac inde oriunda periostei cum ossibus erosione terminati, quos rheumatismus ingignit, v. c. tumores sic dicti albi, gummata rheumatica etc., porro

*γ*) Varie ludens earundem partium arthritica labes, multifaria deorganisatio articulationum, relaxatio vel rigiditas et ossificatio ligamentorum, exsudationes diversae liquidae terrenaque concrementa, unde tophi, anchyloses, luxuriatio substantiae osseae in partibus glenoïdeis maxime frequens, et penitioris ossium texturae stupenda commutatio in massam modo asperam, fragilem et friabilem, pondere levem et pumici non absimilem, modo densissimam, pondo gravem ac aegre delebilem, vitreo dentium cortici aequabilem; — persistens et immodica secretione insignis membranarum

pituitarium omnium adfectio, atque manifesta mixtionis humorum permutatio morbosis exsudationibus antea memoratis conspicua, cuius primaria caussa, secundum inquisitiones celeberrimi Fourcroy aliorumque locata est in acido phosphorico nimium producto vel certe non sufficienter excreto, quod actioni perversae organorum digestionis et urinae secretionis imputandum esse videtur.

δ) Quod ad inflammatoriam horum morborum apparitionem pertinet, de eo valet supra dictum, in universum, ut ophthalmiam, ita quamlibet inflammationem pro systematis productivi malo declarandam esse.

2) Speciatim vero, in oculi malis tribus, quae tractantur, ille morborum fundamentalium character, eorundemque congruentia non minus evidenter, immo fere distinctius sese eloquuntur.

Enimvero

*a*) tres nostrae ophthalmiae, exceptis earum formis blennorrhoïcis, venerea et arthritica, quae inter se maxime consentaneae quidem, a rheumatica valde abhorrent, omnes fere iisdem oculi partibus vim inferunt, fibrosas nempe illius membranas primariam sedem occupantes, praecipue scleroticam, quae partim ob suam aponeuroticam structuram, partim ob intimum cum oculi musculorum tendineis extremitatibus, tam syphilidi *) quam arthritidi et rheumatismo hospitium offerre visa est.

*) Dura meninx, inveterata lue nonnunquam offenditur, eaque non sola re magnam analogiam cum intime communicata (nisi vere ab illa oriunda) sclerotica testatur, sed etiam vulgatis casibus ruboris scleroticae inter inflammationem durae matris, immo post accessus singulos maniacos et melancholicos illico intrantis.

Uno vel altero eorum nominum malo semel certam dictarum partium invadente, facili periculo continuis et contiguis oculi membranis communicatur.

*b*) Decursus uniuscuiusque duplex invenitur modo acutissimus, modo chronicus, ita vero ut ophthalmoblennorrhoea acuta venerea cum eadem arthritica mirum in modum congruat, — ophthalmia syphilitica intrinseca, acutioribus symptomatibus insignis, praecipue cum rheumatica acuta (quamvis etiam cum acuta arthritica) et chronica venerea cum arthritica longinqua, licet etiam rheumatica diuturna aequalia signa ferat, potissimum convenire videatur.

*c*) Character omnibus tribus remittens est, praesertim syphiliticae rheumaticaeque, vesperi nuctuque vehementia exasperatis, mane ac interdiu mitigatis.

*d*) Omnibus aequo modo coniuncti sentiuntur dolores modo fixi, modo vagi, non solum in oculi vicinia, sed etiam in aliis etsi maxime remotis mollibus et duris corporis partibus quandoque saevientes, qui itidem vesperi noctuque ferocius insistunt.

*e*) Acute si decurrit vel intrat unaquaeque oculum initio unicum adoritur, ac paullo post in alterum extenditur, — sive oculorum illum infestat atrociter, alterum leniori vi adficit; — sive unico oculo pro tempore confecto, cessat ac post aliquod intervallum in alterum incolumem aequali vehementia redit, qua de re superiora sategerunt.

*f*) Caussa proxima non raro subesse videtur omnibus eadem, v. c. refrigerium universi corporis vel singulae partis, incauta suppressio topicae mali subditi apparitionis, ex. gr. eruptionis cutaneae, frontalis praeci-

### Ophthalmia syphilitica.

*a.* 6) Atvero sub sua peculiari forma ferocius quando intrat, caeteris duabus aliquanto mitior putari potest ob insignia lucida intervalla, quae versus auroram ad meridiem usque perdurantes interlabuntur, vesperi vero potissimum per aliquot horarum spatium exacerbationi vehementissimae campo cedunt.

*a.* 7) Durante paroxysmo illo partes internae bulbi magis ac velocius quam pro lentiori tibi viso decursu remittente (aut intermittente) metueres, adficiuntur, et singularem labem experiuntur.

*a.* 8) Sclerotica ruborem inflammatorium subfuscum (e caeruleo) ostendit, praesertim concentratum in ea regione [illegible], circa interna latere ciliare corpus adfixum est; ibi enim vasa plurima congregata sunt, quae, sanguine repleta annulum coloris inter chalybeum et fuscum medii formant, et ramulos in corneam transmittunt, qua via tunicae illius obscurationem introduci exspectandum est.

*Non observantur* staphylomata scleroticae syphilide *sola procreata.*

*a.* 9) Cornea tota aequaliter obscuratur, saepe velociter ac inopinato, praeaertim lue larvata auctore, ita ut interdum primum chronicae ophthalmiae venereae symptoma efficiat. Illa obscuratio tam a limoso aqueo humore camerarum oculi proficisci dicitur, quam a penitiore propriae substantiae lamellarum corneae, forsitan inprimis intimae, obfuscatione pendet.

Haec itaque impelluciditas corneae in ipsa causam habet, nullaque ratione ab adnatae membranae vitiis deducenda est.

*a.* 10) Coniunctiva bulbi oculi venereo malo rarissime patitur; palpebralis vero ob viciniam glandularum Meibomii, ductusque lacrymales investiens, qui itidem glandulis muciparis scatent, nonnunquam tumida et incrassata invenitur, eoque modo fistulae lacrymalis auctor evadit.



### Ophthalmia arthritica.

*a.* 6) Non datur ophthalmia, excepta vera ophthalmitide, quae simul decursus rapiditate, cruciatusque furore atroci huic anteferatur. Remissione vix observabili diurna interposita summos inflammationis gradus indefesso cursu attingere properat, immo veram ophthalmitidis imaginem nonnunquam sistere conspicitur.

*a.* 7) Intima bulbi oculi structura persistente mali vehementia et magis luculento damno laborat. Dolores oculi eiusque circumferentiae utramque ophthalmiam oppositam hac ratione, sicuti photophobiâ, longe antecellunt.

*a.* 8) Sclerotica rubedine clariore superfunditur (quam in ophth. syphil.) quae versus ambitum corneae subalbidum circulum relinquit. Cinereae maculae scleroticae reperiuntur inordinatae, annulumque cinereum non formant, sed ex more paullulum ab ea parte, cui subiacet orbiculus ciliaris, retro locatae sunt, tunicaeque colore foedando nondum contentae subinde in colliculos elevantur, quae staphylomata scleroticae efficiunt.

*a.* 9) Cornea, si acuta ophth. corripitur, maxime variegata non raro apparet: modo singularibus abscessulis profundis, semilunaribus, conspectum observatoris minus exercitati saepe fugientibus obsidetur, qui postea cicatrices profundas, non raro pellucidas, relinquunt, — modo fistulas continet obliquas aut semilunares, satis elongatas, quarum primordia, abscessuli nempe profundi, ex more diu morantur priusquam durum septum perforent, ac adeo difficilius, quam ulcera, dignoscuntur; modo, quod arthriticae ophthalmiae chronicae speciatim competit, obducitur cornea velamento quasi lanea, excoriatâ nempe coniunctivâ, quae propter acrimoniam lacrymarum, vel entropium et ectropium in sempiterna irritatione servatur.

*a.* 10) Coniunctiva tota cum palpebris et organis lacrymas abducentibus, quod modo dicta probant, frequentissimo casu arthritidi anomalae succumbunt, quae faciei non minus, quam oculis genuinum suum habitum inprimit (conf. pag. 56).

### Ophthalmia rheumatica.

*a.* 6) Decursus velocitate solita discrepat a syphilitica, malignitate minore autem ab arthritica acuta.

Matutina remissione conspicua est, sed multo minus luculenta, quam venerea, ita ut vespertina, etsi appareat sensibilis, minus stupenda, simulque brevior quoad tempus observetur exacerbatio.

*a.* 7) Ex internis oculi partibus vix aliam, quam iridem insigni phlogosi ac immediate adficit: chorioideae lentisque capsula paullatim demum in mali partes attrahuntur.

*a.* 8) Rubor inflammatae scleroticae subcaeruleus, qui colorem petali rosae centifoliae paene refert.

Diuturna inflammationis persistentia maculas subnigellas interdum efficit, quae signum adfectae chorioideae illiusque cum sclerotica cohaerentiae morbosae sistunt. Attamen illae maculae solum colorem tunicae durae permutant, structuram non laedunt, nec in staphylomata transeunt.

*a.* 9) Cornea primitus raro patere visa est acutae rheumaticae adfectioni, sed a phlyctaenis adnatae, quae non omnino superficialia ad marginem scleroticae et corneae occurrunt, ac siccitate oculi inflammati praesertim effici videntur, quum pruritus bulbi calidi nictitationem palpebrarum indesinentem cieat, ac ita coniunctivam, cui latex lacrymalis lubricans deest, vel acerrimus infunditur, summopere teratur ac interdum abscessulis impleatur. Tali modo genita ulcuscula praesertim in ambitu corneae, quo vascula scleroticae numerosa pertingunt, observantur ibique, diffusa supra fines corneae, superficialia restare, minoraque tunicae puncta pelluciditate privare conspiciuntur.

*a.* 10) Primigena non adest coniunctivitis, sed levior illius gradus interdum inducitur oculi siccitate inflammatoria, vel contrario casu, epiphorae dico rheumaticae corrosive diluvio.

### *Ophthalmia syphilitica.*

*a.* 11) Iris transfigurationem singularem interdum experitur; exsudativa nempe inflammatione correpta modo turbidum aequosum humorem secernit, modo condylomatosas excrescentias ostendit, quae exulceratione, hypopio, synechia anteriore immo perforatione corneae et prolapsu iridis — vel synechia postica, cataracta membranacea et pupillae synizesi terminantur.

Initio inflammationis oculi pupilla interdiu minus coarctata conspicitur, quam vespertino tempore, quo cum accidentibus aliis etiam photophobia exaltatur; postea vero,

*a.* 12) Membrana chorioidea sensu tensionis ac plenitudinis molestae bulbi non solo, sed etiam concrescentia cum sclerotica (confer. a. 8.) malo correptam sese prodere solet. Corpus ciliare, propago illius tunicae, non raro densam cohaesionem cum iride et capsula lentis init.

*a.* 13) Corpus crystallinum si adficitur, ab iride profectum malum suffert, aut a ligamentis ciliaribus, eaque de caussa capsula praecipue est exposita morbosae mutationi, quae synechiam posteriorem et cataractam membranaceam efficere solita est. Operatio deinde periclitata propter adhaesiones firmas non sine labore malique successus metu instituetur.

### *Ophthalmia arthritica.*

*a.* 11) Iris, ob extraordinariam lucis intolerantiam, quae huius ophthalmiae fida comes esse solet, ab initio mali summam angustationem pupillae refert, quamvis ipsa iridis inflammatio non semper in ophth arthrit occurrat. (vide pag. 46.). Attamen, nisi auxilium medicum obnititur, synizesin expeditiorem quam in alia ulla inflammatione successorem habet, inprimis, si primordia inflammationis iridi non parcunt. Myosis pupillae, nisi cura symptomatica imminuitur, ob indesinentem oculi dolorem et inde pendentem lucis timorem quovis diei

me auctam, nonnunquam e contrario imminutam — accidens perniciosius, quam primo intuitu forsitan putatur, — hanc in utraque, illam potissimum in chronica ophth. arthrit., occurrere statuunt.

*a.* 12) Membrana chorioïdea, quamvis lentius ac non semper adficiatur, formatione staphylomatum sceroticae, quorum primigenia caussa accusanda est, destructionis suae specimen affert. Chronica ophth. primiter in illam saevire non videtur, sed acuta inflammatione inchoatam labem perficit.

*a.* 13) Triplici modo corripitur crystallinum corpus; modo solum excipit accidentia phlogoseos ultima, dum arthritis in lente subsedit, qua ratione dura subflavaque seu viridiuscula cataracta, in lente incipiens, oriri consuevit, sine morbosis oculi mutationibus internis comitantibus; modo capsula simul cum iride inflammatur, quo posterior synechia, cum aut sine cataracta membranacea vel synizesi pupillae formatur; modo, quod raro accidit, cum vitrei corporis metamorphosi glaucomatosa vel hydropica coniuncta est. Prior fere semper, secunda nonnunquam, tertia vero nullum auxilium admittit.

### *Ophthalmia rheumatica.*

*a.* 11) Iris distinctius erubescere consuevit quam in arthrit. ophth.; ob photophobiam, inter arthriticam et syphiliticam — tempore, quo remissio adest — mediam, coarctatio pupilla medium tenere videtur, certe narcoticorum, iridem contrahentium usui obtemperat, ocius quam in oph. arthr., minusque lymphae plastica secretione illiusque sequelis, quam in ophth. syphil. defiguratur.

Synizesis pupillae rheumatica propterea rarius insequitur, non obstante casu frequente diuturnae rheumaticae iritidis, quae scilicet chronicae huius generis ophthalmiae for-

*a.* 12) Nonnisi excedens ophthalmiae vehementia, vel maxime diuturna illius perdurantia (in iride) chorioïdeam membranam in partes attrahit, quod puncta cinerea scleroticae postmodum relicta declarant.

Attamen inveniuntur oculi, qui sine anteacta inflammationa tales maculas ostendunt; hoc accidit hominibus, qui capillos nigerrimos et iridem obscuri coloris, simulque scleroticam minus albidam quam caeruleam ferunt.

*a.* 13) Cataracta raro nascitur; in casu forte accidente, iritidis sequelae capsulae communicantur. Operatio, nisi adhaesiones nimis firmae adsunt, cum laeta prognosi potest institui.

*Ophthalmia syphilitica.*

maculae cutis rubiginosae vel exanthema syphiliticum chronicum praesertim in fronte; — dolores osteocopi aliique rheumatismum et arthritidem mentientes etc. Omnia ea comparata dissimulatum malum aliquantum declarant.

δ) Vitae genus liberius, ut militare et vagum peregrinantium opificum, mercatorum etc.

*b*) Peculiaria topicae inflammationis oculorum accidentia.

α) Ophthalmiae gonorrhoicae.

a. 1) Origo trifaria ex suppressione gonorrhoeae sive leucorrhoeae syphiliticae — e consensu oculorum cum partibus genitalibus indicato fluxu laborantibus — et ex insitione virulentae materiei gonorrhoicae in oculo facta, generaliter itaque a specifico animali viro deducenda.

*a.* 2) *Photophobia, initio vixdum excepto ipso, pro instantia periculi non immodica est, et intrante blennorrhoïco stadio insigniter diminuta apparet.*

*a.* 3) Dolores oculi itidem non aeque vehementes, quam exitiosi decursus ratione quis timeret, ac ultra orbitam eiusque viciniam, quas acerbe perforant, amplius extendi non solent.

*a.* 4) Rubor adnatae initio coccineus est et paullatim aliquantum saturatur, attamen subfuscus non evadit.

*a.* 5) Mucus, adfectis oculis secretus, colore substantiaque a pure vero vix differre videtur.

β) Ophthalmiae syphiliticae intrinsecae signa.

*a.* 1) Illos tantum affligit, qui lue generali diutius laborarunt, cuius status indicia supra videantur. Caeterum valetudo prospera adesse potest.

Arthritis, quamvis cum lue coniuncta observetur, malum accessorium tunc est dicendum, quod vero accidentia syphilitica multum perniciosiora et pertinaciora reddit.

I

*Ophthalmia arthritica.*

δ) Vita sedentaria, otio, lautiori diaetae soli, vel et prodigo amoris usui dedita procreat arthritidem acutam — manca nutritio, animi pathemata, corporis exercitatio nimis laboriosa vel omissa vires organismi, praesertim nutritionis frangit, ac anomalae arthritidis auctor accusatur.

*b*) Peculiaria symptomata ophthalmiae arthriticae,

α) Ophthalmiae acutae blennorrhoïcae.

*a.* 1) Origo sola ex arthriticae criseos acutae, sive chronicae molestiae suppressione.

Nunquam, uti blennorrhoica ophth. syphil. sine praeterito eiusdem indolis generis generali malo (arthritide) oritur, quum syphilitica in sano homine infectione topica subito efficiatur.

*a.* 2) Photophobia maxima ad oculi deletionem sive sanationem usque perdurans.

*a.* 3) Dolores atroces oculi, per orbitam non solam, sed etiam per totum cranium et ossa faciei vagantur, atque potissimum occiput inter et frontem retro citroque ferri dicuntur.

*a.* 4) Rubedo membranae coniunctivae secundum clariss. Benedict statim saturata et subfusca conspicitur.

*a.* 5. Materia oculo secreta, quamvis subflava et puriformis, pituitae naturam luculentius conservat.

β. Ophthalmiae arthriticae internae signa.

*a.* 1. Arthritis, quantum novi, oculum in primum belli campum eligere nunquam observata est, ideoque ante ophthalmiam alio modo prodidit suam praesentiam, ac naturam adfectionis topicae multum quantum declarat, ista vel alia ratione.

Ea, quae suppressa crisi arthritica oritur, excepta, ophthalmia qua arthritidis anomalae sequela debiles homines

*Ophthalmia rheumatica.*

δ) Cuiusvis conditionis atque vitae generis homines rheumatismo et ophthalmia rheumat., potissimum epidemica, fere pariter afficiuntur.

*b*) Peculiaria rheumaticae ophthalmiae symptomata.

α) Blennorrhoïca forma deficit.

*a.* 1) —

*a.* 2) —

*a.* 3) —

*a.* 4) —

*a.* 5) —

β. Ophthalmiae rheumaticae proprietates.

*a.* 1. Nulla requiritur in procreanda rheum. ophth. neque contagii, neque generalis morbi vel infirmitatis praeexistentia. Diuturna oculorum inflammatoria (huius generis) adfectio rheumaticos dolores comites habere solet; illi quoque non raro permixti sunt venerea complicatione, quo in casu vehementia insolita dolorum, et malignitas morbi topici fomitem heterogeneum sub cineribus gliscentem suspicari sinunt

*Ophthalmia rheumatica.*

*a.* 2) Dolor rheumaticus quidem orbitae, praecipue apophysi temporali ossis frontis, facialibus ossibus ac dentibus, immo cranii ollae non parcere videtur, sed in periosteo (periorbita, pericranio) potius habitat, eodemque tem- [illegible]

[illegible] quem excitat, comparatur ab illo glebae glaciei, quae in parte quodam musculari sivi tendinea fixa sedeat, vel aquae frigidissimae per interiora membri cuiusdam effusae — dum extremus illius frigoris gradus ardoris sensum paene refert; — ab alio aequiducitur sensui, qui post contusionem partium muscularium illas adficere pergit, — ac permultis uti forcipe frigida peracta vellicatio apparet. Vesperi, versus mediam noctem increscit, calore lectili augetur insigniter, externo frigore pro tempore paullulum obtunditur.

*a.* 4) Ophthalmia rheum. unum oculum adoritur initio, dum alter solum ob consensum leviter affectus apparet. Brevi post mitigatam aut exactam inflammationem huius oculi corripitur ille sub iisdem apparitionibus, ac primum infestatus leviter aegrotat, donec inflammatio socii acmen superavit. Deinde ambo reconvalescunt eodem fere tempore.

Chronica ophth. ipsa alterum utrum oculum solum obsidere solet.

*a.* 5) Oph. rh. proprio Marte dimicat, ac semper acuta inchoat, quamvis arthriticâ mitior plerumque appareat.

*Ophthalmia arthritica.*

aggredi consuevit, quibus ad acrimoniam podagricam in singulam partem, v. c. pedem) confiniendam vis reactionis deficit, sed eius loco sexcentae molestiae superveniunt, quas inter ophthalmia forte semel in scenam demittitur. Verum etiam hoc loco mentio fiat complicationis cum syphilide, quae revera non infrequenter accidit, atque pro mixto malo agnosci, et qua tale curari debet.

*a.* 2) Arthriticus dolor non solum orbitam eiusque viciniam osseam, ut venereus osteocopus, occupat, sed per galeam aponeuroticam caeterasque tendinosas et musculares capitis partes, nervorum facialium ac trigemini ramificatio- [illegible]

[illegible] modo serraturae, modo incisionis profundae longitudinalis obtuso cultro factae, modo asperi funis per intima membra ultro citroque raptati etc. sensui simile diiudicandum sit: post mediam noctem hora matutina secunda usque tertia maxime saevire solet, calore mitigatur, frigore externo statim exaltatur.

*a.* 4) Acuta ophthalmia arthrit. unicum oculum pro tempore adoritur, et nonnisi terminatis ibi symptomatibus acutis, ex more post interpositum sanitatis melioris stadium in alterum oculum reverti solet.

Chronica frequentius utrumque oculum una pariter infestat.

*a.* 5) Ophth. arth. acuta adiumento heterogeneo minime eget, quin acutissimae inflammationis accidentia producat, ac repentino cursu compagem oculi pessumdet.

*Ophthalmia syphilitica.*

*a.* 2) Dolor osteocopus characteristicus (ut infra videmus) qui in glabella totoque margine supra orbitali praecipue sentitur, quod ipsum nomen asserit, molles partes, inprimis nervorum plexus non obsidet, sed [illegible]

[illegible] exuri queruntur. Acutum illum dolorem antecedere solet singularis compressionis sensus, quem aegroti, vel ad pondus ossi adfecto graviter incumbens, vel ad constrictionem violentam ossis (immo totius membri, si cylindricum os) comparare solent. Isti dolores, versus noctem immaniter saevientes, mitigantur sub auroram, ac, nisi gradum supremum assecuti sunt, interdiu penitus intermittunt.

*a.* 4) In afficiendo oculo vel unico vel utroque neque acuta, neque chronica forma regulam stricte servat, frequentius utrumque oculum aggredi videtur, nisi rheumatica forma inducitur, quod autem frequenter contingit.

*a.* 5) Ophth. syph. interna pro se raro peracuta est, sed hoc si accidit, alia quadam inflammatione introducitur, v. c. rheumatica, catarrhali, traumatica etc. et genuinam suam imaginem paullatim efformat.

## *Ophthalmia syphilitica.*

*a.* 14) Corpus vitreum primiter affectum non observatur, superficialis hyaloidea membranae obfuscatio sequela secundinaria iritidis et cataractae membranaceae existere potest.

*a.* 15) Adfectio retinae syphilitica sub specie amblyopiae amauroticae vel amauroseos verae palam fertur, eiusque generis est, quae facultate lucis radios percipiendi iactura sive lucis fame apparet, ac veram vis nerveae paralysin inchoantem aut perfectam sistit. Densa caligo tunc organo visus observatur, attamen successus remediorum pro tali statu adverso nonnunquam ultra exspectationem faustus evenit.

*a.* 16) Glandulam lacrymalem syphilide affectam rarius offendimus; si vero casus accidit, epiphoram veneream oriri videmus, quae tamen *nunquam immediate sequitur infectionem topicam*, sed inveteratae luis generalis propago existit.

*a.* 17) Lacrymales ductus, saccum et canalem nasalem interdum inflammatione syphilitica longinqua, laxitate, incrassatione, blennorrhoea persistente vel subinde puriformi, — immo exulceratione correptos observare licet, qua de re lacrymalis fistula lue nonnunquam inducitur.

*a.* 18) Iuvantium et nocentium ratio diagnosin etiam illustrare valet ac oportet. (Addidisse iuvabit, usum hydrargyri summa praecautione administrandum esse frequentissime, quum ophth. iam abnormis syphilidis forma iudicari debeat.)

*a.* 19) Indicium subgliscentis veneni serotinum, attamen omni tempore notatu dignum, est intolerantia maxima chirurgici adminiculi instrumentalis, quod in persanandum

## *Ophthalmia arthritica.*

*a.* 14) Arthritis in vitreum corpus frequentissime (ac fere unice inter omnes ophthalmiae formas) saevit, eiusque tenebricatione — glaucomate viridi — vel hydropica solutione non raro terminatur. Mutationes illae modo velociter acuta, modo paullatim ophthalmia chronica inducuntur.

Pupilla postea formam horizontali - ovalem accipere consuevit.

*a.* 15) Amaurosis arthritica, si sponte solaque oritur, ex altissimo photophobiae gradu prodire, ac perinde pathema retinae in receptivitate nimia, seu reactionis vi deperdita fundatum constituere videtur. Sie vero partium circumsitarum pressione producitur, v. c. glaucomatis, hydropis oculi, staphylomatis scleroticae comes intrat, iacturae *facultatis percipiendi seu* paralysi nerveae vis adscribi debet.

*a.* 16) Lacrymalis glandula in alia nulla ophthalmia tam largiter liquorem suum fundit, cum non solum ob extremam photophobiam, et frequenter accidentia palpebrarum vitia arthritica in profusam secretionem excitetur, sed etiam solitariam arthriticam adfectionem oculi nonnunquam perpetiatur, cuius luculentum specimen adfert epiphora arthritica, prae caeteris eiusmodi malis atrox et periculosa.

*a.* 17) Hae partes laxitate maxima, chronica inflammatione, ac inde provenientibus variis vitiis frequentissimo casu laborare conspiciuntur.

*a.* 18) Si noxiam vim udoris et frigoris, atque sicci caloris utilitatem excipis, nullam illustrationem evidendum in caeteris remediis usurpabis.

*a.* 19) Vitia diversa oculi, quando per se restitutionem — ope manuali ac instrumentali — admittunt, acum chirurgicam sine subsequente periculo non raro tolerant, si

## *Ophthalmia rheumatica.*

*a.* 14) Hyaloidea tunica rheumatica ophthalmia libera manet.

Hydrops oculi, si post rheumaticam adfectionem oritur, a nimia serosa iridis secretione deducenda est, quod morbosus tunc invisendus iridis habitus ipse declarare solet.

*a.* 15) Quamvis intolerantia lucis extraordinaria sine manifestae inflammationis apparitione comite nonnunquam diutius remaneat, ipsaque amaurosis in hominibus, qui nimia oculorum intensione visus aciem antea debilitarunt, causa rheumatica interdum ad perfectionem evehatur, tamen ophth. rheum. pro se vix unquam amauroseos auctor accusari potest, et quae hac via formata esse forte videatur, potius — ut opinor — in arthritica adfectione quaerenda est.

*a.* 16) Aliquam adfectionem in quavis ophth. rheumat. perpeti conspicitur glandula lacrymalis, quam ob rem initio inflammationis secretio lacrymarum imminui vel prorsus inhiberi solet, ut xerophthalmiae cognomen ab aliquibus scriptoribus acceperit. Aliquoties autem oppositus casus insequitur, qui veram epiphoram rheumaticam exhibet.

Chronica rheumatica lacrymalis glandulae non tam raro accidit affectio, multis autem medicis incognita est, et false curatur unguentis et collyriis irritantibus.

*a.* 17) Visibilis illarum partium deorganisatio nisi apparet, tamen aegri non raro de persistente irritatione, siccitate et pungente dolore in ea regione queruntur, et abductio lacrymalis laticis impedita conspicitur.

*a.* 18) Fere eadem, quae de arthritide valent.

*a.* 19) Deorganisatio forte occurrens usum instrumentorum prudentem optime ferre solet.

### Ophthalmia syphilitica.

oculi hoc modo confecti vitium pericliteris. Gravia inde suscitata accidentia reconditum, nondum exstinctum malum — quod sine laesione oculi forsitan perpetuo sopitum requievisset. — denuo in lucem edunt, et in curam radicitus perficiendam intelligantur necessarium est.

4. Exitus

Maxima et parte antecedentibus indicatus est.

De infausto addenda sequentia sunt:

*a*) Scleroticae quoad colorem insignis mutatio, annulus iterato memoratus modo luculenter persistens, modo caloris et frigoris intenso gradu iterum apparens,

*b*) Corneae totius aequalis obscuratio, quae, nisi forte ulcera per-

*c*) Iridis inaequalitas condylomatica, myosis pupillae cum synechia postica freqnentiori, vel antica, sive cum incrassatione rigiditateque membranulae ipsius liberae, synizesis pupillae densa et coriacea — omnes illius tunicae mutationes maximam exsudationem plasticae lymphae praeteritam adfirmant.

Synizesis pupillae coagulo crasso subflavo, paullulum virescente, formari solet.

*d*) Amauroseos illa species frequentior adest, quae receptivitatis imminutae sequela est; tenebrae oculis aegroti videntur incumbere.

Pupillae forma ovalis erecta saepius apparet, quae superiori parte paullulum versus nasum inclinata conspicitur. Viror in fundo bulbi oculi leviusculus adesse consuevit, sine glaucomatis — multo magis saturati viridis — coëxistentia.

*e*) Plenaria bulbi destructio gonorrhoïca ophth. tantum inducitur, partialis vero etiam ab interna syphilitica provenit. Atrophia bulbi, quamvis raro, itidem aliquoties insequitur internam ophth. syph.

*f*) Fistula eacrymalis, lippitudo et intumescentia duriuscula palpebratium marginum, inprimis psorophthalmia, et scabies venerea in superciliis, madarosis superciliorum et defluvium superciliorum etc. nonnunquam reliquiae huius ophthalmiae permanent.

### Ophthalmia arthritica.

tempestatis ac valetudinis aegri commodus status coincidens exspectatur.

4. Exitus.

*a*) Annuli loco sclerotica maculis fuscis interdum est varia, quae nonnunquam postea in colliculos surgunt, eaque ratione staphylomatum primordia fiunt.

*b*) Obscuratio corneae totalis ex acuta ophthalmia vix unquam

sas, ...

*c*) Myosis pupillae, inaequalitas, adhaesiones et staphyloma racemosum quidem occurrunt aliquoties, attamen minus, quam in venerca ophth. luxuriantes apparent.

Synizesis pupillae frequenter accidit cum amaurosi coniuncta, et in tali casu adspectus oculi morbidus est, qui iacturam sensus lucis prodeat. Pupilla ovalis erecta, antrorsum circumvoluto margine, sensim exsudatione clauditur. Si vero sola synizesis oritur, minus defiguratus apparet oculus, et praeclusio foraminis in iride ligamentulis teneris, marginem pupillae maxime coarctatae connectentibus, ut plurimum cinereo - albidis, efficitur. Generaliter autem iridis substantia minus mutatur et incrassatur, quam id in ophth. syphil. fieri videmus, dum exsudatio plasticae lymphae parcior, einsque loco in aquosam secretionem proclivitas major agnoscenda est.

*d*) Amaurosis arthritica, quod ad characterem spectat, venereae ex adverso posita est plerumque, cum a nimia receptivitate seu nervorum ciliarium irritatione nimia proficisci solcat. Luce, quam retina sibi procreat ipsa, spem aegroti quidem sustinet, revera tamen fere nunquam sanationem admittit.

Pupillae forma rotunda crebro desuper compressa invenitur.

*e*) Ophth. arthrit. acuta vi sua destructoria omnes alias antecellit, quum oculi compagem frequenter omnino evertat, imo nonnunquam oculi scirrhositatem inducat.

*f*) Entropium, ectropium, madarosis aut perversa directio ciliorum — trichiasis, — induratio marginum palpebralium, aut insanabilis lippitudo, fistula lacrymalis aliaque morbi producta saepe insequuntur. Blepharoptosis aut Blepharospasmus interdum accidentia inflammatoria excipiunt.

### Ophthalmia rheumatica.

4. Exitus (ut plurimum faustat, tamen) interdum sequentia relinquit.

*a*) Rarae, quoad numerum et inprimis ad casum nigellae in sclerotica maculae observantur.

*b*) Corneae obscuratio partialis esse solet, quae puncta singula ne-

*c*) Iris alienata vix aliter sese habes, quam arthritide permutata. Exsudatio nempe magis serosa quam gelatinosa reperitur.

*d*) Amaurosis rheumatica sine praeexistente hebetudine visus non facile incurrit; complicatio amblyopiae amauroticae rheumatica pro benigna declari potest, si ad utramque praeteritam spectatur.

*e*) Immediata non accidit oculi quoad formam destructio insignis; atrophia vero, vel hydrophthalmos, oculum postea dirumpens, itidem longinquam causam insequi potest.

*f*) Molestia quaedam in oculi rotatione palpebrarumque motu nonnunquam per diutius intervallum continuatur, quae partim ab inertia glandulae lacrymalis eaque producta siccitate oculi, partim a vero topico rheumatismo in musculari systemate oculi — vel amborum oculorum, ut in praesentia curandum habeo — fixo dependet, ac sanatu difficile malum sistit.

*Ophthalmia syphilitica.*

1. Natura et indoles.

a) Morbus fundamentalis venerea lues, chemico-dynamicum organismi vitium, quod nostris temporibus certissime non amplius sponte oritur, sed

b) Specifico animali viro solo producitur, cuius naturam, originem et patriam eruere nondum contigit, quod vero, si cum indebilitata sua vi circulantibus alicuius humani individui humoribus inseritur, eandem, qua ortum est, pseudorganisationem in illo producit.

c) Eadem vi contagiosa pollent ophthalmiae syphiliticae producta morbosa, pus et mucus puriformis.

d) De reliquis conferatur pag. 10 et 25 et sqq.

2. Caussae.

a) Praedisponentes.

α) Ex antecedentibus partim elucent *);

β) partim autem in morbis antea perlatis, scrofulis, rhachitide, exanthematicis morbis, tum quod universalis morbi efficaciae intensionem, tum quod oculorum diathesin inflammatoriam concernit, inveniuntur.

γ) Aetas ac vitae genus aliquantum in considerationem veniunt, cum adolescentia emensis et vitam instabilem, vagam libidinosamque viventibus inprimis superveniat venerea

*Ophthalmia arthritica.*

1) Natura et indoles.

a) Morbus generalis arthritis, de cuius natura, controversiis infinitis obnoxia, sententiam in superioribus professus sum (conf. pag. 37 et 72).

b) Quamvis arthritis acuta et insignior quaevis anomalae critica apparitio contagiosas vires interdum exserant, tamen

c) Ophthalmiae arthriticae illam faculatem nondum probaverunt.

d) Reliqua vide pag. 57 et sqq.

2) Caussae.

a) Praedisponentes hunc in procreandum morbum gravissimas partes conferunt, nam

α) Hereditaria praedispositio datur, haud infitianda, quamvis de infirmitate singularum organorum aut systematum *adnata potius*, quam de morbo arthritico efformato ipse dictum illud valeat.

β) Vix admittitur infectio ipsa, nisi varia peccata in videndi ratione commissa tam ignominiosa, ut Bacchi Venerisque servitium libidinosum, quam insontia, vita nimis sedentaria, sive mala corporis nutritio, sive sollicitatio animi diuturna, nimia virium corporis in laboribus exhaustio etc. bonam valetudinem diversa respectu suffodierunt.

γ) Aaetas media et provectior tantum arthritide laborant, ita ut rariora genuinae arthriticae adfectionis ante trigesimum quintum usque quadragesimum vitae annum in-

*Oph*

1, Natura et in

a) Rheumatismus tissimum febrilis, chr arthritide anomala con

b) Nequaquam an generalis morbi,

c) nec ophthalmiae

d) Caetera pag. 61

2) Caussae.

a) Praedispositio

α) Hereditaria nu

β) Nec paene in statis austerae ac inde tas, rheumatismum, e contrario homines tismo febrili vehemen vero haec affectio hon tibus, dermatico et c lestiis arthritidi anom dare conspicitur.

γ) Aetas etsi vir acutum fere sola effo non tam frequenter i

*Ophthalmia syphilitica.*

letoriam vim contagii pro diverso valetudinis gradu et vitalitatis — percipiendi ac reagendi facultatis — statu maxima differentia intercedat.

*b*) Procatarcticae.

α) Mali generalis unica caussa virus organismo insitum existit.

β) Topicum vero syphiliticum oculi malum cient omnia momenta vel absolute, vel pro relatione (scilicet oculorum) externa inimica, quae fomitem contagii corpori inhabitantem in oculis [illegible]

γ) Epidemica locum habere nequit, quum infectio virulenta generalis aut localis unica caussa sit.

3. Symptomata essentialia.

*a*) Signa morbi syphilitici generalis manifesta. Febris syphilitica non datur, nisi hectica, vel ex irritatione profecta.

α) Aliquoties luculenta lues adest.

β) Deficientibus persistentis morbi symptomatibus, aegrotus ipse suam ignominiam fatetur saepissime in examine; qua in re tamen cavendum est ab errore funesto morbum mercurialem, vel mere imaginarium pro venereo nondum exstincto habendi, quod non ita raro fieri medicorum observata confirmant.

γ) Reliquiae morbum antecedentem indicant, cicatrices in partibus genitalibus, ano, regione inguinali, altera utra conspiciendi etc., erosio narium veli palatini penduli etc.

*Ophthalmia arthritica.*

*b*) Procatarcticae

α) Morbi generalis maxime diversae, quae nihil amplius efficere, nisi hostem dormientem somno excitare valent, quum, uti mihi videtur, infectio arthritica ipsa praedispositionem aliquam expostulet.

β) Topica oculorum adfectio arthritica refrigerio capitis, frontis, vel universi corporis quam sicco quam praecipue humido, mechanica oculorum irritatione, suppressione [illegible]

γ) Etiam arthritica non existit ophthalmia epidemica; tamen infitias non eo, quin haec inflammatio oculi tempore, quo rheumatica divulgata est, valetudinarios arthriticos itidem saepius quam grata tempestate infestet.

3. Symptomata peculiaria.

*a*) Arthritis regularis aut irregularis, tam praeterita et suppressa, quam perdurans.

Febris aliquoties incurrens accessorium, non essentiale accidens est, nisi in critico accessu arthritico.

α) Signa manifesta, quae paroxysmum arthriticum acutum praegressum esse indicant.

β) Relatio molestiarum diversarum, quae pro morbi proteiformis arthritici adfectionibus agnoscuntur. Praecipuam vero habitus arthriticus, siccitas et laxitas integumentorum communium, praesertim faciei, diagnosticam tesseram in oculorum malum diiudicandum confert.

γ) Destructiones organicae variae, quas arthritidis sequelas cognovimus, pag. 72.

*Ophthalmia rheumatica.*

*b*) Procatarcticae caussae.

α) Morbi generalis gravissimae existunt, quum repetinus in homines sanos irruat: vitium in diaeta vel regimine commissum velociter in malam partem excipitur, ac inopinatum morbum adtrahit. Infectio nec generalis nec partialis ob defectum contagii locum habet.

β) Topicae adfectionis interdum luculenta percipitur, saepe sensus fugit, vide pag. 67 ac epidemia, cuius natura nondum cognita est, saepe inducitur.

γ) Epidemica saepe grassatur, aequinoctiali potissimum (vernali, et auctumnali praecipue) tempore, tumque robustos homines infestius, quam valetudinarios aggredi consuevit. Sunt tamen, qui ophthalmiam hanc vere quovis et autumno perpetiuntur.

3) Symptomata essentialia.

*a*) Rheumatismus ex more febrilis ophthalmiae praeco aut comes apparet. Interdum febris levissima est, ita vero, ut nunquam plane deficiat oculi inflammationi.

α) Homines ut plurimum antea optime valuerunt, ac inflammatione correpti pro aegrotis vix agnosci cupiunt.

β) et

γ) Iterata rediens vel obstinacius perdurans ophthalmia rheumatica varias molestias rheumaticas aliarum partium, inprimis capitis, cervicis et humerorum asseclas habere solet.

pue. sudoris capitis ac faciei, ulceris desiccatio, aliaque similia.

g) Terminus omnium, oculi nempe morbosa mutatio vel perfecta deorganisatio propter similitudinem symptomatum destructionis etiam persaepe sibi consentaneus reperitur.

h) Maximam in eundem morbum recidendi proclivitatem alia atque alia partibus adfectis inprimit, ac, si rheumaticam excipis, intolerantiam acus chirurgicae diu perdurantem in memoriam sui relinquit.

i) Cura denique terni diversi mali multa ratione consentit: — indicatio generalis regimen siccum et calidum requirit, immo remedia, praesertim localia, frequenter congruunt. — Ophthalmoblennorrhoea acuta utraque curam fere omnino aequalem topicam heroïcam expostulat, et in revocando malo, cuius interitu orta est, praecipue consistit. — Intrinsecae ophthalmiae topica remedia, saltem initio, humida plerumque aspernantur, et sic porro.

Quibus exactis ad postremam, eamque gravissimam propositi partem deferimur.



## CAPVT ALTERVM,

## DISCRIMINA HARVM OPHTHALMIARVM, ILLISQVE SVPERSTRVCTAE THESES DIAGNOSTICAE.

Quae ut facilius conspiciantur atque comparentur, formulam tabularem sequentem, quae naturam caussalia momenta, peculioria symptomata et exitum diversarum ophthalmiarum, singula ex ordine disquirenda non vetat, in usum capere non haesitavi.

TABVLA

# CONCLVSIO.

Illa circiter essent oculi morborum horumce diversorum diagnostica signa, quae proferre potuissem; ideo nihil amplius mihi relinquunt, nisi veniam a lectoribus petendam, si modo illam modo alteram indicatarum apparitionum in diversis casibus non aeque luculentam inveniant, seu forte omnino incassum quaerant: caetera tamen editorum signorum pluria certe praesto erunt, quae dubiam diagnosin enucleabunt.

Imo complicationes venereae luis cum arthritide sive rheumatismo non infrequentes occurrunt, sicut arthritis irregularis ipsa crebro vix a rheumatismo chronico discrepare videtur, donec stabilia diagnostica signa inter utrumque morbum terminos indicaverint. In illo statu ancipiti atque mixto mali syphiliticus character e topicis oculi mutationibus peculiaribus cum historia morbi primigenii comparatis erit cognoscendus, aut affectiones dubiae — an arthriticae sint, an potius rheumaticae nominandae — secundum accidentia sua sine respectu loci, quem in terminologia tenent, optime curabuntur. At illa, quae curandi methodum explicant, extra propositi fines posita, capaciori successori suppeditanda cedo.